


1577
Schylandro









Last (blank) leaf
wanting at end
of pt 1

MEDICINA ASTROLOGICA

OMNIBVS MEDICINAE STVDIOSIS LONGE VTI-lissima & necessaria, iam denuò multis in locis aucta, vnà cum Practica Chirurgiæ breui & facili. Auctore Cornelio Schylandro Albissensi Medico Antuerpiano.

Galen. lib. Epid. 1.
Medico necessarium est, cuiusque perspexisse Sideris emersus & occasus.

Galen. in sua Mathemat.
Figura genituræ accuratè disquirenda est, vt de morbi qualitate iudicemus.



ANTVERPIÆ,
Apud Antonium Tilenium ad insigne Struthionis. 1577.
Cum Priuilegio Regis.

SVMMA EORVM QVAE HIS LIBRIS CONTINENTVR.

Lib. I.

Tractatur dierum Criticorum intentio & quomodo de ſalute vel morte ægrotantis iudicabimus.

Lib. II.

De parte affecta & qualitate morbi ex motu Lunæ eiusque cõfiguratione, ad reliquos planetas in duodecim Signis Zodiaci.

Lib. III.

De inueſtigatione partis affectæ non viſo ægroto aut aliquo eius excremento, adiuncta methodo quadam breui & facili de vrinæ inſpectione.

Lib. IIII.

De phlebotomia & purgationibus quibus tẽporibus expediant & quibus minimè: nec non ſimplicibus ſingulis mẽbris appropriatis.

Auctor ad zoilum.

Dente Theonino quid carpis zoile? noſtra
Si tibi diſpliceant, fac meliora precor.
Artis enim nihil eſt abſentem rodere dictis:
Sed doctis labor eſt æquiparaſſe viris.

REVE-

REVERENDO IN CHRISTO PATRI, DOMINO GVILIELMO GRAVIO, S. MICHAELIS apud Hantuerpianos Prælato Schylander. S. D.



Icet multos fore non dubitabam Reuerende Domine, qui hunc nostrum laborem post tot Medicorum myriadas inutilem minimeq́ necessarium arbitrarentur: ipseq́ mihi conscius eram quam parum pro impensa opera emolumenti & laudis reportarē, tamen hæc mea fuit ratio, atque ita in animū induxi meum, vt ij imprimis mihi laude indigni non videantur, qui id student, ne tempus aliquod in florida ætate pereat, quiq́ præstātissima quæqúe maximis vigilijs consequi conantur, nihilq́ prætermittunt, quo ad eruditionis fastigium peruenire queant: Quorum monumenta nullo æuo nulla iniuria interitura cognoscat posteritas.

Quisquis enim duros casus virtutis amore
Vicerit, ille sibi laudem decúsque parabit.

Quæ causa fuit vnica quæ me ad scribendum impulit. Iuuenta nihil fugacius est, quæ vbi auolarit reditura nunquam. In hac ingenium exercere nihilqúe laboris subterfugere placuit.

Tentanda via est quo me quoqúe posim
Tollere humo victorq; virû volitare per ora.

Nec dubito quin plerisque alijs quos secula superiora videre, idem fuerit institutum, licet euentus fefellerit. Quorum conditio tamen non aspernanda: Etenim

nim in rebus magnis vel conatus laudari ſolet. Sed quantum periculi ſibi accerſat qui ſe publicæ cenſuræ hodie edendis ſcriptis exponit, nemini non eſt perſpicuum. Si enim quippiam ab alijs prius dictum retexerit, non ſolùm alienam cantionem recantare: verùm etiam aliena vſurpare, aliorumqúe ſeſe plumis ornare dicitur. Quòd ſi idem parum fœliciter præſtiterit, ſe quam plurimis imò omnibus deridendum exponit, & feneſtram ad omnem contumeliam ſibi patefacit. Quid enim roſtratorum ſycophantarum improbitas non molitur? Qui Grillo illi Homerico non diſsimiles ſuperſtite Cerere palam glandibus victitant & clanculum panem eſitant, ne Cereris inuentum laudare viderentur. Quiq; malunt quàm ſemel induerunt opinionem pertinaciſsimè defendere, quàm ea poſita aliquando ad meliorem mentem redire. Arrogantiores quàm vt velint, indoctiores quàm vt poſsint meliora addiſcere. De quibus verè id Horatianum dici poteſt.

Laudat, amatque domi, premit extra limen iniquus.

Quorũ maledicta & opprobria floccifacio. Vt enim Comparatio *feras mordaces in noſtrum commodũ vertimus, earumq; pellibus veſtimur, carnibus veſcimur, & felle medemur: haud ſecus nobis agẽdum eſt, vt ab inimicis non ſolùm nõ lędamur, ſed adiuuemur. Satis mihi eſt bonos & eruditos viros mea ſtudia ad publicam vtilitatem ſpectantia prouehere, atque promouere, quorum fauore & clementia ad metam eruditionis tandem perueniam. Qui mihi & vice calcaris fuerint*

rint

rint ad summorũ virorum excellentiam contendẽdi, eumq́; montis tractum tenendi quò millesimus vix vnquam forsitan est peruenturus. Ego autem nõ paruam partem mei studij in hanc artem exercendo consumpsi, & vt mei incepti voti compos efficerer, quot labores perpessus sum, quásue miserias exantlaui? Ideò si id mihi honori dabitur, non inuideant precor meo honori, cum labori & vigilijs non inuideant. Fortasse dicas nihil dictum esse quod nõ dictum sit prius. Fateor equidẽ ex antiquorũ lucubrationibus me excerpsisse quæ ad meum propositum conferre videbantur, & Galenũ Hippocr. & Ptolemæũ sequutũ varia cõpilasse, quæ huic nostro proposito seruire putabam: sed eadem methodo tractasse & simuli verborũ serie descripsisse penitus diffitemur. Si id reprehensione dignum, merito & alij non vulgaris eruditionis accusandi qui eanden ferme materiam tractantes hãc diuersimode, idq́; vel compendiosiori vel faciliori ratione dilatant. Verùm quid hisce immoror? Certum est mihi potius incultè indocteq́; scribere, quàm Epicuræũ nomen videar subiturus.

Iudicijs amor, aut odiũ melioribus obstat.
Et quod scire graue est, carpere cuiq; leue.

Quare cùm hoc seculo in omnes artium Mathematicarum zoilea probrositas grassetur, certè aliquis heros mihi quærendus fuit, sub cuius auspicijs & tutela hi mei labores in publicum prodirent. Consideranti autem mihi quem cui hanc meam qualemcumque futuram consecrarem rectissimè deligerem, tu vnus mi Reuerende Domine Prælate occurristi,

cuius Excellentia (ſic enim mibi citra controuerſiã polliceor) quicquid nuncupatur ab omni iniuria immune eſt, vt quæ veluti Mæcenetea propenſione muſis ipſis quã maximè faueat, adeoq; benigniſsimè eaſdẽ cũ ſuis cultoribus foueat. Quæ cauſa eſt, vt eã docti agminatim etiam atque etiã ſuſpiciant, magnopere colant, & cum ſumma reuerentia venerẽtur. Quam obrem & ego erga tuam dignitatem adeò ſum affectus, vt omittere non potuerim ob tuum in me ſingularem affectum, quin aliquid mei erga te amoris teſtimonium darem: vt hinc quanti quoque tuam dignitatem eximiam faciam, quamq; intimè ob tuam erga me philiatrum benignitatem amem, liquidò intelligeres. Et ſi hac noſtra mea fætura Domino tanto ſit indigna, precor boni conſulat, non tam munus ipſum quàm animum dantis expendens.

Sunt hæc præludia tantum

Poſt grauiore ſono noſtra Camena canet.

Accipe igitur ſtudioſorum omnium Patrone hanc meam qualẽcunque operam nomini tuo conſecratam hilari & exporrecta fronte. Atque à ſuperciliosis quibuſdam, & palliotenus aſtrologis vindicare digneris, qui cælum terræ miſcere malint, quàm committere vt quicquam ignoraſſe videantur. Quiq; omnem operam nauabunt, ſcio, quò me falſitatis redarguant, & ad παλινῳδίαν reuocent. Quodſi tua excellentia fecerit, ad maiora deinceps nomini eius conſecranda animum meum extimulabit. Christus eam plurimos in annos ſoſpitem, & incolumen ſeruet. Antuerpiæ quarto Calendas Iulij. Anno 1569.

COR-

CORNELII BVSENNII Bredani, Medicinæ Doctoris Hendecasyllabum.

Quàm Doctus Medicæ Schylander artis
Sit lector, facit hic palam libellus.
Lætis hunc oclis legas & æquis,
Nam paucis ibi multa continentur
Vulgi quæ superant opinionem.
Authorem quibus æstimare nosti,
Ex paruis velut vnguibus Leonem.

Distichon

Parue liber si quis te tandem lumine cernat
Liuidus obliquo, dic, meliora lege.

CORNELII SCHYLANDRI MEDICINÆ ASTROLOGICÆ de Crisi & diebus Criticis Pars prima.

Periculosa esse iudicia.

Caput I.



T non est aliquid magnificentius vel admirabilius in tota rerum natura, quàm naturæ pugna cum morbo, dum stimulata à corpore cælesti benignam & vtilem materiam à praua & inutili secernere conatur, & ad expulsionẽ præparare cum magna accidentium exacerbatione: ita res est profectò vna de energia influxuum in hæc inferiora facillimè intelligi posit, quæq; ob difficultatẽ nõ mediocri periculo affectetur, eo quòd iuxta Paremiã Grecam Οὐ πάντος ἀνδρὸς ἐς κόρινθον ἐσθ᾽ ὁ πλοῦς Vnde multis vsu venire videmus, vt ex astris sua vaticinia instituentes, in futilia incidant, & nephandos errores: dum citra rationem. citraq; delectum secus quã res se habet aliquid de morbi exitu pronunciant, pariterq; ægrotãtem suis dictis perplexũ reddunt, adeò vt nullus Orpheus tam sit canorus, nullaq; tam salubris medicina quæ eius animum denuo refocillare posit. Quòd quidem nos commouit, vt partim è medijs artis Astrologicæ præceptis quædam nostro proposito conuenientia deligentes: partim quæ diutino legendi studio sumus consequuti, & va-

ria lectio-

ria lectione philosophorum, obseruauimus, accõmodantes, de Crisi & diebus Criticis, & cognitione partis affectæ ex sola cælesti theoria aliquid proponeremus. Non id quidem conantes artem hic totã vt complectamur, sed studiosis ansam præbuisse contenti, quasiq; materiam quandam futuri operis subministrasse, nõ inuidemus si penes alium sit vel tota gloria, modo à nobis ad medicinæ cãdidatos aliqua deriuarit vtilitas.

Auctores qui de hac parte scripserunt.

Caput II.

PORRO ne quis inuentum hoc neotericum ac nuper domi nostræ natũ existimet, sciat hãc partem κριτικὴν à Ptolomeo doctissimo locis varijs describi, & philosophos aliquot in huius volumina alioquin obscura commentatos. Quod sane nequaquam facere poterant, nisi & hisce magnam laboris partem impẽdissent. Quorum libri si hodie à nonnullis euoluerentur, non admodum futurũ erat opus hisce meis præceptiunculis. Accedit ad hoc quod non piguit viros disertissimos diligẽter in hac parte physices exerceri. Vt Hippocr. testatur. Qui astrorum ortus & occasus considerandos esse præcipit, nec non morbi naturam, ex Lunæ domicilio & reliquis aspectibus cum planetis, prognosticatur. Idem Galenus inquit libro de diebus Criticis tertio, & in sua Mathematica vbi omnia hæc quam fusissimè explicat, nihilq; intactum relinquit. Huius opinionis & Aristotelem fuisse, qui solertissimus causarum naturaliũ inquisitor extitit, satis eius monumenta testantur ab ipso exarata,

in quibus præcipit diligenter aſpectus cæli eſſe conſiderandos, diſtantiam Lunæ à Saturno, & alia id genus quæ ab Alchyndo diligentiſsimè ſunt conſcripta.

Aliorum ſententia de Siderum influxu.

Caput III.

NEque quicquam mea refert, ſi quibus hæc Phiſycæ pars vitio data eſt, qui oēs influxus bonos eſſe contendunt, negantq́ꝫ Saturnum tantopere à philoſophis decantatum malum eſſe, Iouemq́ꝫ bonum. Siquidem vt ipſi affirmant ſub ipſo Saturno.

Aurea prima ſata eſt ætas, quæ vindice nullo,
Sponte ſua ſine lege fidem, rectumq́ꝫ colebæt.
Poſtquàm Saturno tenebroſa in tartara miſſo
Sub Ioue mundus erat, ſubijtq́ꝫ argentea proles,
Auro deterior, fuluo precioſior ære.

Statis hic nobis eſt eorum facultates aliquando in nobis deprauari, aliquando ſalutares eſſe pro diuerſa recipientis conditione. Si demonſtrationes omnium effectuum exigas, & aliam rationem præter experientiam velis, quare tali aut tali qualitate ſint planetæ prædici, viciſsim ſciſcitabor quæ cauſa ſit æſtus maris, attractionis ferri in magnete, reciprocationis paroxiſmorum in tertiana præciſè tertio die, & in quartana quarto? Si itaque horum quę cõmuniter fieri conſpicimus cauſam ignoramus, non mirum videri debet ſi eorum quæ altioris ſunt ſpeculationis cauſa neſciatur. Quibuſdam ſubinde rebus occultæ proprietates ſunt ingenitæ, quę nõ ſunt

alicuius elementi, quarum causæ latentes sunt, ita vt humanus intellectus rationibus vllis nequeat inuestigare. Vt videre est in Struthio camelo in cuius vẽtriculo ferrũ cõcoquitur, nõ ratio caloris vehementis, sed proprietatis à natura ingenitæ. Quamobrem nõ ideo tollendus est astrororum influxus, quia nescitur cur astra potius ad hunc quàm illum effectum inclinantur. Sufficit nobis doctissimorum virorum authoritas, qui hæc longa experientia edocti posteritati reliquerunt.

Duplicem esse Crisim.

Caput IIII.

CRisim bifariam terminari non arbitror obscurũ esse, vel Galeno & Hippocrate testãtibus, qui per euacuationem aut deriuationem materiæ ad membra remotiora hanc fieri affirmant. vtpote per fluxum sanguinis, vomitum, secessum, vrinam, sudorem, sputum, lachrymas, saniem fluentem ex naribus vel auribus, per morbum icterũ, abscessus, & bubones. Cæterum citius an tardius futura sit ex morborum natura & temporibus, aut ex periodorum inter se proportionis obseruatione intelligemus. Tertiana siquidem si initio simul vt inuasit agnosci queat, ex ea ipsa licet sumere tum citam eius fore crisim. Si quotidiana, tardam: eaq; tardiorem si quartana. Morbi tempore æstiuo breues existunt, quod per id temporis humores redundantes perspirabili cute digerantur. Hyberno autem tempore quia intra corpus tanquam latibulis delitescunt, longi & tardius soluuntur, perseue-

rantibus nimium eorum causis, teste Hippocr. Comment.ij.Aphoris.vigesimoquinto, vbi inquit. Æstiuæ quartanæ plerunque breues: Autũnales longæ, & inter eas maximè quæ ad hyemẽ spectant. Singulis enim morbis celeritatẽ æstas: tarditatẽ verò hyems addere solet. Paroxismorũ etiam incrementa certum statumq́ꝫ vigoris futuri diem ostendunt. Qui si maiori temporis interuallo anteuerterint, plus durauerint & vehemẽtius afflixerint, haud pœnitendum morbi portendunt augmentum, celeremq́ꝫ eius motionem esse & in proximo vigorem significant. Concitatiores autem morbi motus, si minores aut parui, & eadem hora qua pridie inceperũt postridie redant, longius abfore Crisim indicant. Necesse est enim qui ita ægrotant, morbo impediri diuturniori, quàm si principij accessionis horam incertam & inordinatã habere cõtigisset. Quum enim exacerbationum causa constans & firmata fuerit, eandem periodum & statam horam seruat, & solutu fit difficilis. Prætermitto signa Crisima, cuiusmodi sunt sudores, hæmorrhagia, dolor capitis, derepente natus, & alia sexcenta quæ duplicem adferunt prouidendi rationẽ, videlicet salutis propinquæ, si post morbi coctionem accidãt: vel criseos improbę siquidem morbi cruditatem fuerint consequuta. Vt enim bona & laudabilis sit crisis, necesse est vt die decretorio & cum signis concoctionis accidat. Porro qui sint eiusmodi dies, posteà subiungemus.

Quas ad res conferat hæc dierum cognitio.

Caput V.

QVo itaque studiosa medicinę inuętus propęsiorib⁹ animis in hoc studiũ incũbat, quas ad res conducat paucis aperiemus. Principio ad ægri conditionem cognoscendam, non parum adfert momenti, id est, quæ nam sit futura morbi conditio, hæc dierum diligens obseruatio. Peculiariter autem confert ad refrenandum seu cohibendum ea quę alioquin præ malignitate materiæ & cælestium orbium efficacia euenissent. Astrologus enim præsentiendo futura de longinquo quasi obuiã it, nihilq; quod ęgro posit conducere pretermittit: atque tempore paroxismi quod ex siderum habitudine & motu pręuidet, naturę vehementer occupatę omnia permittit, ne ab extrinseco irritata tandem lassata det manus. Non raro etiam vsu venit, vt homines morbi exitum desiderent, vbi si hac arte destituti, hęsitabimus, aut temerè alios spe vana lactabimus, pariterq; & ipsi ridiculi nostram prodentes inscitiam miseros consilio nostro enecabimus. Quòd malum facillimè vitarit, cui in promptu erit dierũ Criticorũ cognitio, deq; parte affecta ex stellarum configuratione iudicium. Neque verò mediocriter quoque contulierit hæc iatromathesis ad dietæ ordinationem, vt Galenus & Hippocrates sexcentis in locis testantur, vbi tantum de tenuitate victus remittendum esse dicunt, quãto ab extremis .i. vigore morbus abfuerit lõgius. Præterea obsecro quẽ posset huius studij pœnitere, quũ videmus praxim hãc de parte affecta indaganda nõ viso ægroto, aut aliquo eiusdem excremẽto, hac quæ de inspectione lotij est, multo esse verioren. Paradoxa esse fateor,

ſed talia, quæ (modo nullum committatur erratũ) proculdubio à quouis merito probari debẽt. In quibus ſi falli contingat inſcitiæ practicantis imputandum eſt, non autem ipſi arti. De cuius praxi in ſecundo tractatu ſcribemus.

Prima præceptio & cauſa dierum Criticorum.

Caput VI.

HÆc quaſi præfati ſupereſt vt ad propoſitum accingamur. Videmur itaque non abſurdè facturi ſi præmoneamus primò diligenter obſeruandum eſſe quo die ab hora inuaſionis morbi aliquis affligi cæpit.

Sudores enim febricitantibus boni, qui manare cœperint de Tertio, Quarto, Quinto, Septimo, Nono, Vndecimo, Decimoquarto, Decimoſeptimo, Vigeſimoprimo, &c. Qui ſecus euenerint morbi lõgitudinem ſignificant. Febricitantibus enim ſi ſexto die rigores incidant, iudicationem habent difficilem: Et alibi: *Niſi diebus imparibus febris reliquerit, ſolet reuerti.*

Cuius cauſam volẽtes aſsignare veteres, coacti fuerunt recurrere ad cæleſtium corporũ motus. Non enim virtuti regitiuæ corporis eiuſmodi aſſcribendos putabant, cùm huius non ſit vlla ratio cur potiùs vno quàm altero die tale quid in corpore humano efficiat. Neque materiæ peccanti, cùm alioquin motus in Cholericis non de ſeptimo in ſeptimum, ſed de tertio in tertium foret: in melancholicis autẽ, de quarto in quartũ. Vnde cõpulſi menſem quẽ vocant medicinalem

con-

conſtituerũt, quẽ ab Heliaco ortu auſpicabãtur, id eſt, ab apparitione poſt cõiunctionẽ. Sed hæc opinio quã ſit veritati contraria vel mediocriter in hac arte exercitato, perſpicuum eſſe poteſt. Luna enim ſilente ſi quis morbo peracuto laborare incipiat, vt frequenter accidit, & tertio vel quarto die, hæc primum à coniunctione illuminetur, nullus hic dies Criticus aſsignari poſſet. Præteria cùm ob obliquitatem Zodiaci & Horizontis vel Eclipticę latitudinem, aut motus inæqualitatem, Luna nunc citius nunc tardius appareat illuminata, decretorius dies videlicet ſeptimus, decimuſquartus ob inſtabilitatem principij ſemper incertus erit. Approbanda itaque magis videtur aliorum hac in re ſententia, qui diem criticum & Criſim per Lunæ motum metiri volunt, & habitudinem ad reliquos planetas. Sed dubitari hic poteſt, cur Hippocr. in Prognoſtico dicat: Inſultus in febribus acutis in vigeſimum per additionem terminari cum Aphoriſ. ſupra allegato vigeſimiprimi faciat mentionem. Ex febribus, inquit, quæ peſsimæ ſunt aut imprimis malitioſæ, atque exitialia ſigna præ ſe ferentes quarto die aut etiam antè ægrotantem tollunt è medio. Ipſarum igitur primus impetus ſic terminatur: Secundus ad ſeptimum: Tertius ad vndecimum: Quartus ad decimumquartum: Quintus ad decimnm ſeptimum: Sextus ad vigeſimũ. Hactenus Hippocrates. Ad quod reſpondemus vtrũque diẽ decretoriũ eſſe, idq́ ob Lunæ velocitatẽ vel tarditatẽ. Sed dies vigeſimus frequẽtius longè: vigeſimus autẽ primus in frequentius & cũ maiori ſecuritate. In hunc enim non cadit niſi dum Luna motu tardiori ad nonageſimum

gra-

gradum vtpote quadraturam pertingit, ad quem vigeſimo die motu citatiore perueniſſet. In decimumquartum, vel vigeſimumprimum niſi incidat malus aſpectus, valde ſeruantur ægri, quoniam locus iſte aduerſatur initio morbi.

Erigendam figuram eſſe cum quibuſdam Aphoriſmis.

Caput. VII.

QVum itaque aliorum ſentẽtia magis rationi cõſentanea eſt, qui Criſim diemq; criticũ per motum Lunæ & habitudinem ad reliquos planetas, ſtellasq; fixas inueſtigari volunt: operæprecium eſſe arbitror, ſi modum quo id fiat facillimè, paucis aperiam. Primò igitur habita hora decubitus ægroti, aut alicuius manifeſtæ læſionis operationum in corpore, ad eam Lunæ locus in ſignifero inquirendus eſt ſecundum temporis & loci exigentiam, ad quem additis octies quadraginta quinque diebus patebunt octo anguli, qui dies criticos, iudiciarios & quid in his futurum eſt pro cuiuſque ægritudinis acutæ natura oſtendent pulcherrimè. In quibus angulis reliqui quoque planetæ conſtituentur pro loci & temporis diuerſitate. Quibus rectè diſpoſitis attentè notandum eſt, ad quem poſt defluxum Luna ſeſe applicet, aut à quo ſeparata ad quem defluat, diſiuncta cuius diametro aut quadrante affligatur. Coniuncta cuius congreſſui cõſociata ſuffragetur. Beneficis enim congreſſu vel aſpectu copulata, præſentiùs & efficaciùs auxiliatur. Malis autem cõfigurata, ad vitæ deſperationem

nem

nem morbum intendit. Quæ, vt particulatius intelligantur, Aphorismos aliquos subijciam, ad quos ceu lydium lapidẽ figura examinanda est.

APHORISMI.

Applicatio Lunæ cum Saturno, malum, & hoc maioris maliciæ, quo motu tardiori fuerit. Si autem retrogradus & ante oppositionem Solis recidiuæ futuræ signum est.

Saturnus Orientalis à Sole, si morbus fuerit ex frigore, conualescet tandem: sin caliditate, insuperabilis erit.

Contra, si Occidentalis à Sole extiterit.

Item Saturno augem sui circuli permeante, si fuerit morbus ex retentione, peierationis indicium. Contra, si morbus ex solutione ventris proueniat.

In Coniunctione Lunæ cum Saturno: si Luna cursum intendit, timẽdum de ægritudine diuturna & crisi horrenda. Motu si tardetur aut augeatur lumine, minus mali quàm si lumine diminuta foret, significat.

Luna Marti iuncta, malum. Si lumine decrescens minuetur de malitia, crescetq; ægritudo si motu velociore prouecta luminis incremẽto turgescere incipiat.

Mars post Solis oppositionem non adeo formidandus, acsi ante oppositionem foret.

Mars in auge & morbus ex siccitate morbum intendit. Contra, in augis opposito & ex humiditate infirmitas.

In Coniunctione, si nec Lunæ, nec stellæ cui iungitur, fuerit latitudo, testimonium firmum de crisi: & quo latitudo maior, hoc magis deficiet de foritudine indicij.

Luna in oppositione Saturni & Iouis, valebit quidem æger, sed nõ euadet, nisi fuerit Saturnus, Retrogradus, & Iuppiter directus.

Luna cum Saturno & Marte, malum. Quos si aspexerit Iuppiter aut Venus, liberabitur infirmus.

Luna cum Ioue vel Venere, bonum.

Luna in initio morbi sine aspectu, si die Critico stellam aliquam aspiciat, melius vel peius ægrotanti erit secundum naturam sideris.

Ad quadraturam vel oppositionem Luna vbi peruenit, sine aspectu vel applicatione alicuius planetæ, si sit in domo sua, aut exaltatione, signum bonum: Sin casu vel opposito domus, vel in maleficũ impingat, vel eius quadrangulum vel diametrum, malum.


Quæ dicta sunt, exemplo declarantur.

Caput VIII.

PORRO quo hæc quæ dicta sunt, facilius intelligantur exemplum adijciam, de mercatore quodam insigni, qui tertio die à primo morbi insultu diem extremum clausit. Hic enim tempore decubitus Lunã in vigesimoseptimo Scorpionis habuit in tertia cæli parte. Mercurium ascẽdentis Dominum Retrogradum & combustum in decima iũctum Soli. Venerem in sexta in quin

to Piſcium. Martem dominum mortis in ſeptima. Iouem in quarta Retrogradum in vndecima Capricorni. Saturnum Retrogradum in Horoſcopo in oppoſitione domini mortis. Quem cùm aliquot medici non vulgares acceſsiſsent: omnes vnanimiter (quòd tamē rarum eſt) cùm ex lotio, tum aliis ſymptomatibus diuerſis morbum periculo vacare conſtanter affirmauerunt: nec citra rationem vt apparebat, cùm ex ijs quæ videbantur nullæ apparerent mortis ſignificationes. At ego non penitus confidens huiuſmodi, vtpote quæ facillimè ab influxu ſiderū in egrotis mutari poſſunt, ilico domū reuerſus, erigo figuram cæleſtem ad primum morbi inſultum, planetarumq́ habitudine exactè conſiderata eorum ſignificationem maximè opinioni aliorum medicorum contrariari reperio. Vnde licet primò ab alijs non diſſenſeram, collegi criſim ſe non vltra triduum extenſuram, ipſumq́ vitam cum morte commutaturum audacter pronunciaui. Quemadmodum contigiſſe proculdubio non pauci videre.

Figura cæleſtis ad horam decubitus ægroti erecta, cum eiuſdem explicatione.



Verum enimuerò quibus rationibus inductus id præsagiui, iam breuiter audi. Consideraui primò cui Luna iungeretur & vnde separata cui applicaret. Nam secundum applicationem bonam vel malam symptomata vel mitigantur vel magis exacerbantur in ægrotante. Reperio quòd Luna secundo die ab ęgritudinis accessu in oppositum Mercurij retrogradi & combusti, qui Dominus erat ascendentis impingat. Quo tempore accidentia exacerbari videbantur, cùm ob eius combustionem, tum habitudinem quadratam quam cum Domino domus mortis haberet. Deinde paulò post video quod ad Solis diametrum, & tertio die ad Saturni & Martis trientem deflectat. Quo tempore maximis cruciatibus maximaq; cordis angustia ob malitiam aspectuum & eorum

eorum continuam ſucceſsionem cõflictatum iri iudicaui. Vt quoq; accidit, adeò vt natura laſſata amplius vehementiæ morbi reſiſtere non potuerit, & inſignis ille mercator implumis (proh dolor) ad cæleſtẽ Ieruſalem ſic auolarit. Ad accelerationem huius effectus faciebat Luna motu citatiore prouecta. Et quia in iſtis diebus nullus fuit concurſus Stellarum beneuolarum ad Lunam, nulla alleuiatio morbi & accidentium remiſsio fuiſſe ſignificatur. Cuius habes paradigma.

Hæc conuenire cum doctrina Hippocratis, demonſtratur.

Caput IX.

QVod circulum in tot partes diuiſerimus, cauſa Hippocrates eſt, qui Libro primo Aphoriſmorum inquit:

Index ſeptimi quartus. Sequentis ſeptimanæ octauus initium. Spectandus quoque eſt vndecimus, ſiquidem is ſecundæ ſeptimanæ quartus eſt. Rurſum decimus ſeptimus ſpectandus, is enim à quarto decimò quartus eſt, & ab vndecimo, ſeptimus.

Siquidem quarto die, quem indicem ſeptimi conſtituit Hippocrates, Luna motu tardata paulisper, partem quadrageſimam attingit, quam motu celeriori intra tres dies abſoluit. Septimo autem die quẽ Criticum dicit, ad quadraturam Luna feſtinat, niſi velox ſit curſu, tum enim ad octuageſimam partem duntaxat peruenit in ſex diebus perfectis. Ob quòd criſis in ſexta ſemper eſt mala, cùm id fiat ex Lunæ motu velociori, & in parte quæ primo loco non aduerſatur. Vnde

rigores quæ ſexto die fiunt, iudicationem habere difficilem rectè inquit Hippocr. In ſeptima criſis poteſt bona & mala eſſe. Nam ſi fiat ex tardo Lunæ motu ad octuageſimam partem, mala eſt: Sin ad nonageſimam, quod plerunque accidit, bona. Decimoquarto die Luna vadit ad oppoſitum loci in quo erat in principio morbi, vnde Criſis per ſe bona, ſeu Luna fuerit tarda ſiue velox, & ægri vt plurimùm ſeruantur, niſi interueniat malus aſpectus. *Morbi acuti intra quatuordecim dies iudicantur.* Vigeſimo autem die tantùm Criſis bona erit & laudabilis, cùm Luna ab oppoſitione velox noningēta gradus paragrauerit. Sin velox aut tarda, vigeſimo die in octuageſimum impingat, mala erit. Hippocrates huius vigeſimi diei mentionem facit, non vigeſimiprimi, quod rarius fiat, criſis vigeſimoprimo die, vtpote non niſi Luna curſu tarda poſt oppoſitionem nonaginta gradus abſoluente. Hoc die quoque vtplurimum ſeruantur ægri, niſi aſpectus nefarius impediat. Merito itaq; ſecundum Aphoriſ. in ſexta Criſis ſemper mala: In ſeptima valida & anceps: In decimaquarta valida & bona: In vigeſima valida & frequens, plerunque mala: In vigeſimaprima, rara ſed bona. In decimatertia, mala.

Quo tempore & hora futurum iudicium.

Caput X.

VErùm enimuerò, quo tempus futuri iudicij cognoſcatur dierumq; Criticorū: vide gradum quadranguli, diametri, vel coniunctionis

cum aliquo malorum planetarum, eundemq́; in Ephemeride quærito, quem ſi pręcisè inuenias, nullo prætereà opus eſt calculo. Ipſo enim die & hora vigor futurus: ſin minus, inueſtiga gradũ proximo minorem, eumq́; ſubſtrahe à gradu quadraturę vel oppoſitionis, vel coniunctionis, & reſiduum tibi horas pomeridianas denotabit, eius nempe, qui gradibus inuentis correſpõdebit pro binis partibus horam vnam computando. Haud ſecus morbi alleuiationem inueſtigabimus, habitudinem Lunæ ad fortunas reſpicientes. Dicas ſi Criſis dependet à motu Lunæ radiis planetarum ſtellisq́; fixis, qui fit Criſim vnius non eſſe ſimilem alterius in hominibus qui eadem hora ægrotare cœperunt, & eodem temporis momento? Cui reſpondendum cenſeo diuerſificari virtutẽ operantis, propter diuerſitatem potentiæ recipientis. Sol lutum indurat, & ceram liquefacit. Alia eſt natura pueri, alia ſenis, alia viri, alia mulieris. Nec inuenias duos adeò ſimilis cõplexionis, vt vnius ab alterius complexione non differat. Vt Porphirius in prædicabilibus teſtatur. Perſonam inquiens ſingularem eſſe cuius proprietates non reperiuntur in omnibus eædem. Eſſentia autem generica vel ſpecifica, licet conueniamus ſingulari tamẽ natura eſſentialiter quiſque ab altero diſtamus.

De morte vel ſalute ægrotantis iudicia.

Caput XI.

HActenus de dierum Decretoriorum & Criticorum inuentione ex constellatione. Reliquum est vt disseramus quomodo ex eadem edocti de salute vel morte prognosticabimus. Hoc itaque vt recte fiat, erigendum est thema cæleste ad horam inuadentis morbi vel quæstionis propositæ in duodecim domos (vt vocant) cælestes distributam, inq; ijs collocandi planetæ cum parte fortunæ, & horum mutua habitudine bene perspecta, de interitu vel vitæ prolongatione, deq; accidentibus ægroto euenturis (vti dictum est) facillime iudicabimus.

Quippe à Domino signi emergentis, vel Luna, si ille impeditus fuerit, mortis vel sanitatis futuræ significationes vt plurimum sumuntur.

Dominus enim ascendentis, & octauæ se aspectu malitiæ mutuo aspicientes, vel corporaliter iuncti, mortem indicant, nisi inter eos receptio fuerit. Periculosius tamen est dominum Horoscopi iungi malo vel Domino mortis eumq; recipere, quàm mortis Dominum Domino ascendentis.

Dominator signi Orientis si ex sua retrogradatione separatur à sidere Dominium mortis sibi vendicante, desperationis indicium est, nisi propter retrogradationem à Sole fuerit combustus.

Astrum cæteris in Oriente præpollens, si est Dominus octauæ & horæ Dominus, significatio mortis, maximè, si illud aliunde impeditum fuerit, & morietur, quando perueniet ad gradum octauæ sedis. Idem de sidere dominium in sexta sibi vindicante censendum est.

Dominus

Dominus Horoſcopi vel Luna impediti, ſignum eſt mortis vel diuturnæ infirmitatis.

Item Luna, Dominus ſextæ, vel anguli Orientalis combuſti, retrogradi, aut dominus ſigni emergentis in angulo octauo coniunctus Marti vel Saturno, morbos ciebit lethales.

Luna in quarta domo cum Marte citra aſpectum beneuoli, mortem ſignificat. Luna Orientalis vltra duodecim gradus à Sole non diſtans, mortis nota, & quo Soli propinquior extiterit, hoc peius.

Luna cum Saturno decreſcens in principio infirmitatis, ægritudinis diu duraturæ ſignum eſt: cõtra, ſi cum Marte fuerit. Luna in coniunctione Solis, mortis præſaga eſt.


Luna impedita in principio morbi, per radiationem malam vel coniunctionem, criſim frequenter dubiam & mortem ſignificat.

Si ab hora qua quis ægrotare cepit, Luna è combuſtione exeat, creſcet ægritudo donec ad oppoſitũ gradum perueniat: tum enim ſi iuncta fuerit, malo præſertim Domino mortis, periculum portẽdit, aliàs euaſionem. Sol & Luna dum ſunt domini horæ, & aſpiciunt dominum octauæ claſſis, ægrotus non poteſt liberari.

Prope aſcendens ſi fuerit infortuna ad duos vel tres gradus, ſignum eſt peſsimum, & tot dies ſuperſtes manſurus, quot partes ab aſcendente infortuna diſtiterit, ſi ſignum eſt mobile.

Pars fortunæ infortunata vel eius ſignificator ingrediens radios Solares, interitum denunciat. Item

pars fortunæ prope caudam ad quatuor partes, vel ſub terra, vel in octauo cæli domicilio, vel habens aſpectum malum ad malos, teſtimonium mortis. Quæ in exemplo, manifeſta euadunt.



Non prætermittendum eſſe hic puto, ne à nonnullis hic ignorantiæ accuſemur, hanc iudicandi methodum, multo certiorē fore ſi Geneſim egrotantis præſciuerimus, eiuſque dominum cum aliis ſignificatoribus duodecim (vt vocant) domorum: & potiſſimū ſi planetam dominantem in aſcendente cognouerimus. Hic enim ſi hora interrogationis vel decubitus fortunatus, & bene diſpoſitus fuerit, iunctus fortu-

nis

nis aut in horum fortunatis aspectibus, non iudicandum de morte ilico, licet dominator orie͂tis hora quæstionis infortunatus fuerit, in sexta vel octaua cæli sede à Marte vel Saturno, sed tamen proculdubio ægritudinem periculosam fore, & malam, vnde tande͂ æger liberari potest, timendum est. Si Luna gradum Saturni aut Martis aut in fortunæ alicuius natiuitatis hora quæstionis perambulauerit, & hi fuerint coniuncti aut in malo aspectu eodem quæstionis tempore, signum magnæ infirmitatis non sine periculo. De his autem qui plura desiderat, legat Mathematicam Galeni, & libellum Hippocratis de significatione mortis & vitæ, sæcundum motum Lunæ & planetarum in zodiaco. Nos aliò properamus.

Expositio Vocabuli (Dominus.)

Caput XII.

IN præcedentibus cùm sæpenumero facta sit mentio dn̄i ascendentis vel alterius, ne lectoris imperiti animum suspe͂sum detineamus, hoc capite explicaturi quid & quis is sit. Non enim omnis Planeta qualemcunq; dignitatem in gradu & signo Orientis habens Dominus eius signi est nuncupandus, sed ille qui fortior extiterit ibi in virtutibus essentialibus. Quemamodum Sol vndeuigesimo gradu Arietis, tempore diurno ascendens, ratione domus sue, quinq; dignitates habet, & minoris est efficatiæ: Contra si nocte vigesimus quintus gradus eiusdem signi supra Horizontem emergat, huius Mars ratione domus

ſuæ & termini, Dominus dicitur. Sol enim quia aſcenſio nocturna & tertia facies Arietis in partibus illis ſolam exaltationem habet: Sin nocte ſecunda facies ſupra hæmiſpherium attollatur, ambo æquales ſunt in facultate eſſentiali. Vterq; enim quinque dignitates poſsidet. Mars ratione domus, Sol exaltationis & termini. Non tamen ambo Domini ſunt cenſendi, ſed horum loca bene conſideranda ſunt. Quantò enim planeta gradui aſcendētis propinquior, tantò efficacior: Quantò autem remotior, tantò debilior, licet alterū alter dignitate excedat. Si neuter planetarum in aſcendente fuerit, quos eiuſdem energię eſſe dicimus, videndum vter illorum ſit in domo fortiori, in angulo vel ſuccedenti, & meliori radiatione gradum aſcendentis intueatur, eiuſmodi enim eſt dominium ſigni aſſcribēdum. Ambo autem ſi in vno ſigno fuerint, conſiderandum vter maioris ſit virtutis in parte iſta, & potentior eſt pro Domino eligendus. Sin æquales, ille Dominus reputandus, qui eſt ſignificator rei quæſitæ, aut radijs beneuolentioribus alium aſpicit. Porro quale dominium quilibet planeta in qualibet zodiaci parte habeat, ſubiecta indicabit tabella.

Tabula

Tabula dignitatum eſſentialium ſecundum Ptolomæũ.

Signa Zodiaci.	Domus Planetarũ	Exaltationes.	Triplicitates.
♈	♂	☉	☉♃♂
♉	♀	☾	☾♀♄
♊	☿	☊	♄☿♃
♋	☾	♃	♂♀☽
♌	☉	o	o♃♂
♍	☿	♄	☾♀♄
♎	♀	☿	♄☿♃
♏	♂	o	♂♀☾
♐	♃	☊	☉♃♂
♑	♄	♂	☾♀♄
♒	♄	o	♄☿♃
♓	♃	♀	♂♀☽

Termini Planetarum ſecundum Ptolomæum.

♈	♃	6	♀	12	☿	20	♂	25	♄	30
♉	♀	8	☿	14	♃	22	♄	27	♂	30
♊	☿	6	♃	12	♀	17	♂	24	♄	30
♋	♂	7	♀	13	☿	19	♃	26	♄	30
♌	♃	6	♀	11	♄	18	☿	24	♂	30
♍	☿	7	♀	17	♃	21	♂	28	♄	30
♎	♄	6	☿	14	♃	21	♀	28	♂	30
♏	♂	7	♀	11	☿	19	♃	24	♄	30
♐	♃	12	♀	17	☿	21	♄	26	♂	30
♑	☿	7	♃	14	♀	22	♄	26	♂	30
♒	☿	7	♀	13	♃	20	♂	25	♄	30
♓	♀	12	♃	16	☿	19	♂	28	♄	30

Facies Planetarum.

♈	♂	10	☉	20	♀	30
♉	☿	10	☽	20	♄	30
♊	♃	10	♂	20	☉	30
♋	♀	10	☿	20	☽	30
♌	♄	10	♃	20	♂	30
♍	☉	10	♀	20	☿	30
♎	☽	10	♄	20	♃	30
♏	♂	10	☉	20	☽	30
♐	☿	10	☽	20	♄	30
♑	♃	10	♂	20	☉	30
♒	♀	10	☿	20	☽	30
♓	♄	10	♃	20	♂	30

Peregrinus dicitur Planeta, cùm nullam poſsidet dignitatem.

Detrimentum Planetarum.		Caſus Planetarum.
♈	♀	♄
♉	♂	
♊	♃	
♋	♄	♂
♌	♄	
♍	♃	♀
♎	♂	☉
♏	♀	☽
♂	☿	
♑	☽	♃
♒	☉	
♓	☿	☿

MEDICINAE ASTROLOGICAE DE PARTE AFFECTA, ET QVAlitate morbi ex motu Lunæ, eiusque configuratione ad reliquos Planetas in xij. signis Zodiaci

Pars II.



Edico itaque necessarium est animaduertere, quomodo tempore decubitus Planetę in singulis signis sunt repositæ, & quam habitudinem cum Luna habent, cognoscere. Ex progressu quoque Lunæ per duodecim signa Zodiaci caussæ morborũ cognoscuntur: nam pro eo atque signa diuersarũ sunt naturarum, diuersas quoque Luna in ijs producit infirmitates. Idque eam ob caussam, potissimúm, quod tempore infirmitatum, Luna plerumque in natiuitate peruenit ad quadraturam sui loci vel oppositionem vel coniunctionẽ alterius planetæ maleuoli. Quamobrem Astrologi annum quartum, septimum, decimum, decimumquartum, vigesimum primum fatales esse dixerunt, & quinquagesimum sextum in nocturna genitura, & sexagesimum tertium in diurna clijmactericos, quibus temporibus omnes male valent: nisi Saturnus in diurna natiuitate, & Mars in nocturna principalioribus vitæ locis dominentur: tum enim optimè homines in huiusmodi annis valent, Galenus itaque in sua Mathe-

matica

matica bene precipit figuram genituræ accuratè examinari debere, antequam de morbi qualitate, eiusque euentu quippiam prædicemus: ex ea enim singula, inquit, cognoscũtur, nihilq; quod naturale est homini superuenit, quod ex cælesti consensu & sympathia non oriatur, & originem suam nõ habeat. Verũ quia hoc tẽpus genituræ semper haberi non potest, hic praxim subiungimus, quomodo ex loco Lunę, eiusque habitudine ad reliquos planetas, de morbi alicuius natura, & parte corporis affecta, breuisúe an diuturnus sit futurus morbus, lethalis, an non lethalis, iudicare poterimus. Nec nouum est, aut a nobis excogitatum. Hermes ille Trismegistus eandem praxim ad Amonem Ægiptium primus cõscripsisse legitur: & Galenus in sua Mathematica sciẽtia. Non temerè igitur quis his refragari debet, quæ constat experientia longa verissima esse cõprobata. Nihilominus id addo, hæc ad ea quæ precedenti libro dicta sunt deberi conferri, nec non ad ea quę sequenti libro sequuntur. Ex mutua enim horum collatione, multò certiores de morbo, deq; parte affecta erimus. Ad regulas igitur, in singulis duodecim signis Zodiaci.

Luna in Ariete à Saturno impedita.

DEcumbente igitur aliquo, dum Luna est in Ariete, tarda motu, & lumine decrescens, in quadrato, oppositione, vel cõiunctione Saturni, huic caussa morbi ex refrigeratione erit, in capite potissimum, cum capitis grauedine & distillatione catharri ad pulmones, nec non interiorum æstuatione, & partium extremarum frigiditate.

Quibus

Quibus aderit & animi deliquiũ, & ventriculi fastidium, & sudores intempestiui. In huiusmodi Lunæ configuratione ad Saturnum, caueat sibi Medicus à venę sectione, sed adhibeat ea quę calefaciunt & ventrem emolliunt, & abstineat à catharcticis diagridiatis & alijs quæ ob venenosa ex quibus componuntur ventriculum & alia organa nutritioni seruientia magnopere debilitant. Nam nisi in tali schemate Lunari beneficus planeta Lunam quadrangulo, aut Diametro aspexerit, ægrotus maximum paroxismum exspectet circa decimum octauum diem, ab hora inuasionis morbi vel decubitus. Si verò Iupiter vel Venus Lunam aliquo aspectu aspexerit, magnũ quidem periculum ęgroto est subeundum: sed diametrũ prætergressus incolumis euadet. Hęc de Mercurio minimè intelligenda sunt: nam hic si solus applicat Lunæ cum Saturno, proculdubio ægrotus morietur. Sin Mercurius vnà cum Marte Lunã ea qua diximus cõfiguratione intuetur, sanabitur, nec aliter de Marte quoque existimandũ est, si in eo quo diximus schemate Lunã venientem exspectat. Quando enim Luna ad oppositum perueniet, ægrotus morietur.

Luna in Ariete à Marte afflicta.

LVna tempore decubitus motu & lumine aucta, si Martem aut Solem radijs tetragonis vel oppositis aspicit, prouenient alienationes mentis, phrenitides, phlegmones, febres continuæ, vigiliæ, insomnia, sitis, asperitas linguæ, caliditas in thorace, dolor in hepate. In his cura auspicanda est à venæ sectione, & exhibẽda sunt

refrigerantia & ventrem lenientia. Quod ſi citra teſtimonium fortunarum Saturnus radijs tetragonis Lunam ita poſitam aſpicit, vltra ſeptimum diem non viuet: præſertim ſi motu velociori & luminis incremento ad quadrangulum feſtinauerit.

Quod ſi decumbat aliquis Luna in aſpectu Iouis aut Mercurij & Veneris exiſtente, quamuis pro vtriuſque planetæ diuerſa natura, diuerſas eſt productura infirmitates, & diuerſa ſymptomata, tamen ęgrotus non morietur. Hi enim planetæ fortunæ ſunt, & morborum impetus cohibent, & morbum qui ratione Martis aut Saturni lethalis foret curabilem efficiunt. Proinde Iupiter & Venus in ſingulis ſchematibus diligentiſsimè conſiderari debent, & videndum an rabiē Martis aut Saturni rigiditatē refrenare queant: id quod facillimè cognoſci poterit, cùm ex coniunctione, tum applicatione horum quam habent cum Luna.

Locus igitur Lunæ primo morbi inſultu conſiderandus eſt, & qualitas motus & luminis, & eiuſdem habitudo ad reliquas ſtellas.

Luna in Tauro à Saturno malè affecta.

DVm ingruit morbus ſi Luna in Tauro, pręſertim tempore diurno ex quadrato vel oppoſito Solem intuetur, morbus erit ex multitudine ſanguinis cum aſtrictione alui: aderunt inflammationes, dolores colli, vigilia & appetentia rerum frigidarum & vini, In huiuſmodi ſche-

mate

mate ſanguinis miſsio vtilis erit, & quæ vim aperiendi habent.

Luna in Tauro tempore ingruentis morbi, radijs tetragonis vel oppoſitis Saturnum aſpiciens ſine aliqua fortunarum configuratione, diem vndecimum ægrotus non ſuperuiuet.

Luna in Tauro vti diximus poſita, tarda motu & lumine deminuta quocunque modo Saturnũ irradians affectus morbidi ſecundũ naturam ſigni erunt diuturni, & cognitu difficiles, cùm virium proſtratione ac totius corporis debilitate in appetentia ſtomachi, nec non articulorum doloribus. Oportebit in huiuſmodi quamuis Taurus collum reſpiciat, pręcipuam curã capitis habere. Hoc enim eſt quod primario afficitur, licet non videatur: atque ideo totũ genus neruoſum compatitur, & pręſertim ſtomachus. Hic ſanguinis miſsione opus eſt, & totius corporis euacuatione.

Si Luna poſtquam à Sole ſeparatur, meliora iudicia oſtendit, ſanabitur ęgrotus, dum Luna ad diametrũ perueniet: ſi verò ſeparata peius quippiam indicat, maximè ſe tempore decubitus nulli fortunarum iuncta fuerit, vltra quatuordecim dies non viuet.

Luna in Tauro à Marte impedita.

TEmpore decubitus Luna in Tauro cũ ſchemate Martis exiſtens præcipuè aucta motu & lumine ſed nondum ſemiplena, morbos producet circa collum & hypochondria, idq; ex ingurgitatione & cibo nimio. Febres adderunt calidæ, alui conſtipatio, aſperitas linguæ, amaritudo oris,

do oris, & ſitis nimia. Ægrotus autem erit toruo aſpectu, & facile contra aſtantes irritabitur. His conuenit ſectio venæ, nec non adhibendum eſt, quod aluum lubricam reddit. Quod ſi videris Leonem in quarta domo, ſcias ægrotum facilè incidere poſſe in cardiacam paſsionem: ſi veró poſt primam hebdomadam ęgrotus peius valere incipit, procul dubio morietur. Quamobrem in his exactè oportet conſiderare, quibus horis Luna beneuolis applicat: nam tum ſi cibus aut potus offertur, plurimum conducit, aliâs nocet, licet vulgari medicinæ aduerſetur.

Quod ſi Luna in ea qua diximus configuratione Martis, Iouem, Venerem vel Mercurium aſpexerit, ſiue motum augeat, ſiue deminuat, indubié decimoquarto vel decimoquinto die certa ſalutis indicia aderunt. Quamobrem, ſi hæc medicus pręcognouerit, naturam minimè multis pharmacis moleſtabit: vnde plus nocumenti quàm adiumēti in tali Stellarum ſchemate prouenire certum eſt.

Luna in Geminis à ſolo Saturno, vel Saturno & Marte impedita.

TEmpus decubitus ſi fuerit Luna in Geminis, motu & lumine decreſcente in coniunctione Saturni, vel quadratura vel oppoſito cauſa morbi primaria & principalis erit ex nimijs laboribus, vigilijs, & maximè ex itineribus. Quod ſi tū Luna motu augetur & lumine creſcit, morbus ſe breui aperit. Augeſcit enim morbus à tertio die vſque ad vigeſimum. Erunt febres lentæ & macies corporis, quæ aſsiduis laboribus

ribus exinanito ſanguine cõtracta eſt, cum grauitate & duritie ſplenis, & ſudore multo. Si Mars in tali configuratione Lunam infauſtis radijs affecerit, poſt diem trigeſimum obibit: ſi beneuoli Lunam ſuo ſuffragio iuuerint, chronicis & periodicis morbis detentus tãdem ſanabitur.

Luna in Geminis à Marte ſolo, vel Marte & Saturno afflicta.

SI quis decumbit, dum Luna eſt in Geminis, cui Mars tetragonum, vel Diametrum offert, vel coniungitur, augeſcente eius lumine & motu, morbo exitiali laborabit, & moleſtiſsimo. Erunt febres continuæ, inflammationes viſcerum, pulſus inordinati. In his ſectio venæ eſt cõueniẽs. Si Saturnus ſuis radijs infelicibus alicũdè, quoque in tali ſchemate Lunam impediuerit, mors differtur ad diametrũ Martis vſque. Quod ſi à beneficis Luna adſpicitur, poſt magna pericula ſanabitur.

Quicunque morbo corripietur, Luna in Geminis exiſtente, cauſſæ morbi erunt, labores & balnea, & morbus eiuſmodi humilitate exaggeratur magis. Quod ſi Saturnus & Mercurius vnà Lunam curſu tardam, & à Sole abcedentem adſpiciant, dolor erit in lumbis & calor in toto corpore, & ad ſimilitudinem ambuſtorum in ſuperficie corporis dolebit. in tali caſu nulla medicina ante ſeptimum diem eſt propinanda. Quod ſi Luna curſu tardiori in Solis coniunctionem prouehatur, ſine dubio morietur. Sin autem tẽpore decubitus beneuoli planetæ Lunam ſuis radijs iuuerint, infirmus ex vna ęgritudine in ali-

am incidet, & iſchiades & id genus articulares morbos patietur.

Si ad ſignum Geminorum tempore decubitus inchoati, beneuolæ ſtellæ ſchema ſuum porrigunt, ſiuè Luna tardiori, ſiue citatiori curſu moueatur, medicatione opus non erit.

Luna in Cancro à Saturno oppreſſa.

EX balneo vel refrigeratione illi aduerſa valetudine affliguntur, qui morbi impetum ſentiunt Luna in Cancro afflicta, cui Saturnus vel pręſens iungitur, vel porrigit diametrum aut tetragonum: aderunt ſimul & diſtillationes in pectus, tuſſes, conſtipationes, febres non violentę, ſed malignæ, pulſus parui & debiles, grauitas in lateribus. His conueniunt omnia quæ calefaciendi vim habent: ſi ex beneuolis nemo Lunam intuetur, longiore ægritudine detentus, poſt diē quadrageſimum obibit: at ſi beneuolus aliquis Lunam aſpicit, plurima mala perpeſſus, tandem ſanabitur.

Luna in Cancro à Marte impedita.

SImiliter Luna à Marte in Cancro oppreſſa ob coniunctionem corporalem, aut radiationem tetragonam aut diametralem ægritudinis origo erit ex nimio vomitu, cholera, ventriculi ſubuerſione: huic contra medicorum opinionem, conueniunt quæ conſtringunt & refrigerant. Quod ſi Luna nihil auxilij à beneficis habuerit, ſeptimo vel octauo die morietur. Sed ſi beneficorum

auxilio-

auxilio Saturni vel Martis malitia retundatur, ſeptimo vel octauo die conualeſcere incipiet. Tarditas Lunæ in hiſce ſchematibus, malũ auget, ſimiliter luminis deminutio.

Luna in Leone à Saturno afflicta.

LVna in Leone à Saturno afflicta, morbos ex ſanguinis abundantia ciebit, & humorũ cruditate, aderit grauitas thoracis & hypochondriorum cum aſtrictione alui, & caliditate interna. Quod ſi id fit ſine fortunarum aſpectu, circa diametrum morte ęgrotus intercipietur: aliàs liberabitur.

Luna in Leone à Marte afflicta.

LVna in Leone in coniunctione Martis vel quadratura, vel oppoſitione ex plenitudine ſanguinis morbus orietur: aderunt febres cum fluxibus alui, pulſus debiles, ſincopis, deiectio appetitus, ſomnolentia & languor totius corporis & affectus cordis, & niſi ſuccurrant benefici, die nono, aut pauló poſt morietur.

Si Mars & Sol vterque aucto motu Lunam, tempore incepti decubitus intuentur, cardiacam paſsionẽ infra quintũ diem nullo modo euadet.

Si Venus aut Iupiter Lunam aſpcxerint, dum quis morbo corripitur, ſpes eſt certiſsima salutis futuræ circa quartum diem.

Si Luna ſola motu deminuta in Leone ſit, ſpes

etiam est firma salutis. Si Luna in Leone aucta motu reperitur, & Saturnus ex decima domo hanc aspicit, conualescet circa diem quartũ, vẽtris tamen dolores & inflations patietur.

Si Luna in Leone & Saturnus & Mars, vel alius quicumq; eam aspicit, soluentur morbi penitus, vbi ad diametrum peruenerit.

Si Luna à nemine aspicitur, aucta motu circa oppositioné suã, à morbo ęgrotus liberabitur. Si motum minuit circa Solis coniunctioné, morbum deminuet, recidiuã tamen sæpius patietur.

Luna in Virgine à Saturno afflicta.

LVna hostili aspectu vel cõgressũ Saturni in Virgine impedita, caussam mali ex cruditate, dolore in ventriculo, intestinis, phlegmone in hypochõdrijs dabit, aderit febris cũ alui adstrictione inordinata, pulsus profundi frequẽtes & debiles. Quod si id fit sine testimonio beneuolorum, circa decimum quartũ diem morietur. Si verò beneuoli clemẽtia Saturni inclementiã superat, lõgæuus esse poterit, sed valetudinarius.

Luna in Virgine à Marte afflicta.

MArs Lunam in Leone congressũ suo, vel radijs inimicis vitians, fluxũ ventris caussabit cũ exulceratione intestinorũ, febribus quoque cum stomachi debilitate, vexabitur æger, & nisi Lunam boni aspiciant, morietur die trigesimo: aliàs sanabitur.

Si quis decumbit dum Luna est in Virgine, patie-

tietur cæliacam paſsionem, torſiones ventris & inflationes, quæ à debilitata digeſtione ventriculi originem ſuam habent. quæ vẽter excernet fluida erunt: quæ autem veſica, viridia & male olentia. aderunt punctiones in diaphragmate.

Si Luna motu tarda citatiori motu proueh atur, & Mars aut Mercurius & Sol illam in Virgine aſpiciant, timendum eſt de inſania.

Si Lunæ in Virgine, Saturnus cum Mercurio aut Venere, aut Ioue ſchemata porrigat, ęgritudo ſplenetica & nephritica erit.

Si Luna tempore decubitus ſit vacua curſu, ſiue motum augeat ſiue minuat, futuræ ſunt hemorrhoidum fluxiones: ſi Iupiter Venus aut Mercurius eam aſpexerint, circa diem quintum fluere deſinent.

Luna in Libra à Saturno impedita.

LVna dum Saturno iungitur, vel eum ex Virgine aſpectu tetragono aut oppoſito intuetur, morbus procedet ex nimia vini potatione & crapula. Quod ſi Luna motu deminuatur, & morbus ſit nocturnus, erunt dolores capitis, catharri ad pulmones, vnde tuſſes & febres continuæ. Si verò Saturnus vnà cum Marte Lunam ita aſpiciat, procul dubio vbi Luna ad diametrum veniet, morietur.

Luna in Libra à Marte oppreſſa.

MArs dum Lunæ in Libra exiſtenti iungitur, vel eum radijs quadratis vel oppoſitis aſpi-

cit, erit morbus ex nimia ſanguinis copia, febres acutæ, ſyncopis, vigilia, viſcerum inflãmatio. Quod ſi fit citra beneuolorum aſpectum, intra dies decem morietur: alioquin ſanabitur.

Luna in Libra diffundit materiam morbi in membra externa, quæ inflammabuntur, & dolebunt: calor tamẽ in prefundo eſt maior, ægrotus continuò oculos occludet, cùm tamen non dormiat.

Si Saturnus & Venus aut Mercurius, aut vterque Lunæ motus ſuos minuenti accedit, circa diametrũ omnino phreniticus ægrotus erit, & morietur. At ſi Saturnus ſolus adeſt Lunæ, & Luna motum ſuum augeat, plurima in principio & augmento patietur, ſed circa diametrum, conualeſcet.

Si Sol & Mars Lunam in Libra aſpiciunt, erũt cephalalgiæ, rheumatiſmi, hemicranei: ſi Mercurius adfuerit, aderunt ſuffuſiones oculorum, & dilatationes pupillæ.

Si Luna à Ioue vel Venere irradiatur, ſanantur infirmi. Si nemo ſe Lunæ offerat aut aſpiciat, & ſit motu deminuta, morbi maligni & difficiles in oculis præſertim prouenient: ſed Luna ad diametrum veniente, ſoluuntur.

De Schematibus Lunæ in Scorpione.

LVna á Saturno coniuuctione vel radijs hoſtilibus oppreſſa, erit morbus ab inflammatione inguinum & locorum circa anum & pudẽda. Si Luna motu veloci moueatur, & beneuoli eam aſpiciant, facilè conualeſcet infirmus.

Si verò Luna à Marte impedita fuerit, & motus

tus ſuos minuat,& lumen, cum aſpectu beneuo lorum vltra vel citra tetragonum, vel diametrũ ſanitati reſtituetur.

Dum Luna in Scorpione, origo mali erit, ira, contentio, vel iurgia, inflammatio partium in ab domine circa ſedem aut veſicam, febres à die ter tia augentur.

Lunæ auctæ motu in Scorpione, ſi Mars ad-fuerit à diametro præſertim, periculum eſt læſio nis per ferrum. Si autem Sol coniunctus fuerit, periculum erit apoſtematis pleuritici, iudican-tur & liberantur infirmi ab hoc morbo fluxu ſanguinis.

Lunam in Scorpione ad Solis coniunctionem euntem, motu diminuto, ſi Saturnus aſpexerit, vel ei iunctus fuerit, labefactabitur longitu-dine morbi, infirmus, qui erit defluxus ad anum aut pudenda, & niſi beneuolus Lunæ auxi lietur, morietur.

Si Luna motu aucta eãdem cum Saturno con figurationem habuerit, vti diximus, eadem mala erunt, ſed minus periculoſa, tamen chronica & diuturna.

De Schematibus Lunæ in Sagittario.

SI Saturnus Lunæ iungitur, aut ſuis radijs eam impedit lumine & motu decreſcentẽ ex fluxu & tenuium & acerborum humorum decurſu, morbus orietur, cum articulorum doloribus, horrore febrili, & extremitatum refrigeratione: aſpectus beneficorum ægrum liberat.

Luna à Marte in Sagittario oppreſſa, lumine & motu creſcens ex crapula & plenitudine leta-

les

les procreat morbos, febres biliosas, pulsus languidos. Quod si Lunam beneficus non aspexerit, septimus dies ęgrotum è medio tollet: sin à benefico aspiciatur vsque ad oppositum Lunæ, ęgrotus affligetur, deinde restituetur.

Natura huius signi est, vt ægrotis vigilias incutiat continuas, & noctu maiorem afflictionem quàm de die commoueat, vnde maximè debilitantur infirmi.

Luna in Capricorno à Saturno vel Marte afflicta.

SI Saturnus Lunam in Capricorno opprimat motu & lumine deminutam ex balneo, morbum prouocat, adsunt catharri tenues, grauitas pectoris, & in pulmone difficultas respirandi, febres cum rigore, idque magis noctu quàm in die, & nisi bonus aliquis Lunã aspiciat, die vigesimo primo morietur. Si boni verò Lunæ cõgrediantur aut aspectu aut coniunctione, longã pulmonis ęgritudinem perpessus, tãdem sanabitur.

Luna in Capricorno à Marte impedita.

MOrbum à lęsa concoctione, quam vomitus & cholera subsequuntur producit, affectus iste est perniciosus & acutus, cum neruorũ dissectionibus, & bile mordaci & acri in intestinis & ano, & nisi fortuna Lunã aspiciat, die quinta aut septima morietur.

Si Luna motu tarda in Capricorno sine aliquo aspectu, & circa cursus sui incepti, diametrum, ipsi

ipſi Saturno corpore vel radijs iũgatur, in ſummo diſcrimine ægrotus erit. Quod ſi Mars aut Sol vnà aſpiciat, tranſmutabitur morb⁹, fietque periodicus. Sin Luna motum ſuum augeat, & ei circa diametrum Saturnus aut Sol, vt diximus, iungatur, futurus eſt morbus periculoſior.

Luna in Aquario.

QVando Lunam & tardam & velocem lumine vel creſcente vel decreſcente, Saturnus in Aquario opprimet ex labore laſsitudine aut vigilijs, morbum excitabit, & conualeſcet beneficis Lunã aſpicientibus circa incœpti curſus diametrum.

Si Lunam Mars in Aquario & motu tardam & lumine decreſcẽtem afflixerit, morbus in inguinib⁹ aut cruribus aut pudẽdis erit: febres continuæ & ardentes. Sed æger vno de viceſimo die vires recuperabit, auxiliante potiſsimũm benefica. Si verò Lunæ augmentanti ſuos motus præſens Mars iungitur, aut aliquod ſchema obiicit, futurũ eſt, vt infirmus circa incœpti curſus tetragonũ, animo delinquat. Quod ſi circa tetragonum morbo nihil decedat, morietur in Diametro.

Luna in Piſcibus.

LVna in Piſcibus à Saturno affiicta, motu & lumine deminuta morbi origo refrigeratio, ex balneis, quam ſubſequẽtur diſtillationes, febres erunt continuæ cum rigore, quarum acceſſiones erunt duplices, erit dolor capitis, punctio nes

nes ad thoracem, grauitas in hypochondrijs & articulis. Quod si Luna beneficis non iuuatur in opposito Saturni, morietur: sin applicat beneficis, superata diametro, sanabitur: sed longum & diuturnum neruorum cruciatum relinquet.

Luna in Piscibus à Marte oppressa, motu velox & lumine crescens, ex vini potatione & cruditate morbi causas mouebit: morbus autem à die tertia vigorem maiorem accipiet, afflictiones noctu maiores, aderunt deliramenta, phrenesis, capitis dolores, sitis vehemens: & nisi fortuna aliqua Lunam aspexerit circa primum tetragonum, mouetur: alioquin post diametrum sanabitur.

NOTANDVM.

1 *SI Luna Iouem & venerem aspicit motu aucta, & radijs Martis & Solis oppressa, moritur ægrotus.*

2 *Periculum est excalefacere corpora, quando Luna motu & lumine aucta, in Martem aut Solem impingit.*

3 *Periculum est refrigerare corpora, quando Luna motu & lumine deminuta, in Saturnum aut Mercurium impingit.*

4 *Quando vno die & eadem hora ægrotare duo incipiunt, animaduerte ad ætates illorum, ac eas mutuò sibi confer: iunior enim citius sanatur & facilius (pro diuersitate morborum quos iam circa singula signa diximus) si Luna minuit motum suum & lumen Saturni vel Mercurij schemate exposita.*

Econ-

Econtra, iuniori magis imminet periculi, circa tetragonum incepti cursus, aut diametrum, si Luna motu & lumine aucta, radijs maleficis Martem aut Saturnum aspicit.

5 *Magni momenti est angulos celi considerare tempore decubitus. Si enim dum morbus incipit, beneuoli planetæ sunt aut in Horoscopo, aut medio celi. Luna autem in quadratura aut opposito malorum, non leue est inde ad consequendam salutem auxilium. Si econtra, maleuoli sunt in Horoscopo, aut medio celi, Luna existente in schemate bonorum, magnum est salutis futurum impedimentum.*

6 *Diligenter Medicus inquirere debet de die, & hora decubitus, & considerare situm celi, sine cuius cõsensu nihil fieri potest: sed de hac alibi fusius, vbi probabimus, partium crases aut temperaturas, non ab elementorum commixtione, sed à cælo tantùm causari.*

ME-

MEDICINAE ASTROLOGICAE DE COGNITIONE PARTIS AFfectæ non viſo ægroto aut aliquo eius excremento

PARS III.

Caput I.



Oſteaquàm de inuentione dierũ Criticorum diximus quæ occurrebant qua potuimus breuitate: reliquum eſt vt ſimili compendio de inueſtigatione partis affectæ non viſo ægroto, aut aliquo eius excremento perſtringamus. Verùm ne illotis, quod aiunt, manibus eius praxim auſpicemur, operæpretium eſſe putaui, ea quæ ad quæſtioné pertinent præmonere, Eueniunt enim quãdoque in quæſtionibus Aſtrologorũ iudicia nõ vera, vel propter errorem inſtrumentorum, vel dum Planetæ, quæ rem concedunt vel denegant, ſunt æquales, vel propter interrogantis malitiã, qui non ſincerè ſuper ægritudine conſulit, ſed dũtaxat cauſſa tentandi & fallendi Aſtrologum. In huiuſmodi eſt differéda reſponſio, quem admodum & legimus Indos factitaſſe, qui interrogationem diſtulerũt, nec aliquid certi affirmarunt, dum ſeptima domus, & eius Dominus impediti forent, veriti ne in erroré inciderent. Non enim quolibet mentis motu Aſtrologus conſulendus eſt,

eſt, ſed cum fiducia adeundus. Eueniunt enim hæc ſecundum ſolicitudinem & interrogantis confidentiam. Hæc itaque vt abſint, neceſſe eſt, priuſquàm de quæſtione propoſita aliquid determinetur. Porro fucum interrogationi ſubeſſe cognoſcetur, ſi aſcendens fuerit inter finẽ vnius ſigni & principium alterius: vel ſi Dominus eius & horæ Dominus non ſunt idem, vel eiuſdem complexionis, vel triplicitatis, vel ſi fortunæ & infortunæ ſunt æquales, vel dum ſeptima & eius Dominus ſunt impediti. Id quòd legimus à multis probatum eſſe, & à meipſo centies expertum eſſe, cum laude & honore fateor.

Significationes Domorum.

Caput II.

HAbita quæſtione radicali vlterius cognoſcendum eſt, quæ domus huic vel illi membro eſt appropriata, & qualis ille eſt qui de morbo conſulit Aſtrologum.

Siquidem prima domus datur *Capiti*. Secũda, *Collo & gutturi*. Tertia, *Brachijs*, *Manibus*, *Humeris*. Quarta, *Pulmoni*. Quinta, *Stomacho*, *Hepati*, *Lateribus*, *Dorſo*. Sexta, *Inferiori Ventriculo cũ inteſtinis*. Septima, *Renibus*, *Pudendis*, *Fæmori*. Octaua, *Teſticulis*, *Veſicæ*. Nona, *Podici*, *Natibus*. Decima, *Coxis*, *Genibus*, *Poplitibus*. Vndecima, *Cruribus ad talos vſque*. Duodecima, *Pedibus*, *Podagræ*.

Item qui de morbo conſulit ſi fuerit ægrotus ipſe, vel amicus nullo ſanguine iunctus, vel ro-

gatus, eligatur Dominus aſcendentis, & hepati detur quinta. Si frater, vel ſoror fuerit, qui de morbo apud Aſtrologum inquirit, ſumatur Domin⁹ tertię, & detur Iecinori ſeptima. Si ſeruus, ancilla, vel Patruus, quæratur Rector ſextæ claſſis, & tribuatur hepati decima Si filius, vel filia, ſumatur princeps quintæ, & hepati detur nona. Si Auus, Dominus ſeptimę, & hepati vndecima. Si Auia, rector decimæ, & hepati ſecunda. Si Amita, inquiratur Dominus duodecimæ, & detur hepati quarta.

Cuius Anguli Dominus eligendus.

Quide morbo cõſulit ſi fuerit	Sumatur dñs	& hepati detur
AEgrotus *Amicus nullo ſanguine iunctus* *Rogatus*	*aſcendentis*	*Quinta*
Frater, Soror	*Tertiæ*	*Septima*
Seruus, Ancilla	*Sextæ*	*Decimæ*
Filius, Filia	*Quintæ*	*Nona*
Auus	*Septimæ*	*Vndecima*
Auia	*Decimæ*	*Secunda*
Amita	*Duodec.*	*Quarta*

Quibus membris quælibet Domus appropriata.

Domus		Domus	
1	*Capiti*	7	*Renibus*
2	*Collo*	8	*Veſicæ, Teſticulis*
3	*Humeris*	9	*Podici, Natibus*
4	*Pulmoni*	10	*Coxis*
5	*Stomacho, hepati*	11	*Cruribus*
6	*Ventriculum inteſtin.*	12	*Pedibus, Talis.*

Quali-

Qualitates Signorum.

♈	Calidum ſiccum	♎	Calidum humidum
♉	Frigidum ſiccum	♏	Calidum humidum
♊	Calidum humidum	♐	Calidum ſiccum
♋	Frigidum humidum	♑	Frigidum ſiccum
♌	Calidum ſiccum	♒	Calidum humidum
♍	Frigidum ſiccum	♓	Frigidum humidum.

Aliud.

♈	♌	♐	maſcul.	diurnum	Chclericum
♉	♍	♑	femini.	nocturnum	Melancholicum
♊	♎	♒	maſcul.	diurnum	Sanguineum
♋	♏	♓	femini.	nocturnum	Phlegmaticum.

♈	♋	♎	♑	mobile
♉	♌	♏	♒	fixum
♊	♍	♐	♓	commune

♈	♉	♊	♋	♌	♍	Septentrionalia
♎	♏	♐	♑	♒	♓	Meridionalia.

♊	♋	♌	♍	multarum	aſcenſionum.
♑	♒	♓	♐	paucarum	aſcenſionum.
♈	♎	♉	♏	æqualium	aſcenſionum.

Quas in corpore procreent Planetæ infirmitates.

Caput III.

COgnita duodenarum partium (quas Domos vocant) ſignificatione, & ſignificatore infirmi, diligenter explorandum eſt quas in corpore hic procreet ægritudines, & ſignũ cui ineſt, cuius ſit qualitatis. Planetæ enim calidi in ſignis calidis maiorem habent effectum, quàm ſi in frigidis eſſent. Proinde & natura ſigni & planetæ dominantis, exactè notanda eſt. Quæ vt bene teneantur, hæc ſequentia indicabunt.

♄ { Orientalis, frigidus & humidus. Occid. frigid, ſiccus. } Cauſat { Ptiſim, Scrophulas, Glandulas, Hydropem, Cancrum, Podagram, Quartanam, Lepram, Icteritiam nigram, }
& quæ proueniunt à frigiditate & ſiccitate.

♃ { calidus humidus temperatè } { Squinantiam, Peripneumoniam, Cæphaleam, Synochum & alias ægritudines } ex abundantia ſanguinis.

♂ calidus ſiccus { Febrem tertianã, Cauſona, Pleuritida, Hæmicraneam, Antracem, Eriſipelat., Continuas } ex cholera rubra

☉ { ♈♉♊ calid. humidus / ♋♌♍ calidus siccus / ♎♏♐ frigidus siccus / ♑♒♓ frigid. humid. } { Rheuma. / Fluxum ad oculos. / Catharacta, & alij / morbi calidi & sicci
ab influentia Martis non generati.

♀ { calida humida temperate, vnde } { Morbi frigidi & humidi / Apostemata / fistulæ, ægritudines circa genitalia. } Gonorrheam / Priapismus / Lienteria / Morbi matricis / frigid. humid.

☿ { Orientalis Calidus } { Insaniam / Mentis turbationem / Maniam / Sputi abundantiam }
{ Occidentalis siccus est } { Tussim / Raucedinem / Epilepsiam / Letargiam / Opilationem fellis }

Omnes species melancholiæ complectitur.

☽ à { ☌ vsque ad primam □ calida humida / prima □ ad ☍ calida sicca / ☍ ad secundam □ frigida sicca / secunda □ ad ☌ frigida humida. }

Significat ☾. { Paralisim / Vultus obliquitatem / Membrorum commotiones / Morbos ex neruorum opilatione. / Apostemata Phlegmatica. }

 Quas

Quas corporum partes Planetæ in quolibet ſigno reſpiciant.

	♄	♃	♂	☉
♈	pectus	Venter	Caput	femora
♉	Venter	dorſum	Collum	genua
♊	Venter	Verenda	pectus	Crura Tali
♋	Virilia	femora	pectus	pedes
♌	Verenda	Genua, femora	Venter	Caput
♍	Pedes	genua	Venter	Collũ
♎	Genua	Caput Oculus	Verẽda	humeri
♏	cauill. ſucced.	pedes	Cor brachia femora	Cor
♐	Pedes	Caput Crura	Manus pedes	Venter
♑	Caput pedes	Oculus Genua	humeri Crura	dorſum
♒	Caput Collũ	humeri pectus	cauillæ	Verẽda
♓	Collũ humeri	Caput Cor	Venter cauillæ	femora

Quas corporum partes Planetæ in quolibet signo respiciant.

	♀	☿	☾
♈	pedes	Crura	Caput
♉	Caput	pedes	Collum
♊	Collum	Caput	brachia
♋	brachia Cor, humeri	Oculus Guttur	Caput Stomachus
♌	Cor	guttur, humeri	Costæ Cor Stomac.
♍	Venter Stomac.	Cor	humeri Diaph.
♎	Caput	Venter	Cor Ilia nates
♏	Verenda succede.	dorsum	Venter Verenda
♐	brachia femora	Cor Verenda	dorsum femora
♑	Cor femora	Verenda succede.	femora genua
♒	Genua	Cor femora	Verenda Tibia
♓	Collum dorsum	Verenda Crura	femora Pedes

Ex præcedentibus quomodo iudicandum ſit, demonſtratur.

Caput IIII.

EX aſtrorum itaque poſitione hora, morbi vel quæſtionis propoſitę iudicaturus, inquire almutem horoſcopi vel alterius domus pro interrogantis differentia, vti dictũ eſt per multiplicationem dignitatum eſſentialium, & conſidera quis planetarum malorum ab eo, vel à quo ipſe ſeparatur: ſecundum enim ſtatũ & naturam eius, à quo iſte ſeiungitur, aut contra, erit ægritudo, vel Sanitas in homine. Receſſus planetarum præterita repreſentat: Acceſſus autem futura denunciat. Atque illa corporis particula malè afficietur, quæ per angulum in quo planeta corrumpens reperitur deſignatur, dãdo primam domum Capiti, Secundam Gutturi, tertiam, brachijs, vt ſupra dictum eſt.

Communiter tamen à ſexta domo, & eius domino, aut duodecima ſi morbus fuerit inueteratus, particula laborans inueſtigatur, nec non à planeta vnde remouetur Luna. Aut à gradu dominatoris horæ ſecundum Hali in gradum Solis. Vbi enim partes ab Oriente proiecti finiuntur, in illius ſigni membro, morbum eſſe affirmat.

Porro almutem hic ſeu ſignificator infirmi ſi infortunatus ſupra hæmiſpherium nobis conſpicuus extiterit, morbum in dextra corporis parte indicat eſſe: Sin intra finitorem, in parte corporis leua. Si in ſignis diurnis, in parte anteriori: Sin nocturnus, poſteriori. In partibus autem

mul-

multarum aſcenſionum ſi fuerit, totum corpus affligetur: Si paucarum, indicium fiet de truncatione membri: Sin æqualium, cordis affectionem notat.

Planetæ retrogradi & combuſti cum Saturno & Marte, ſunt ſtellæ corrumpentes. Hi enim infortunant alios cum quibus habẽt affinitatem, per ſeparationem applicationem vel aſpectum. Combuſtio fit ad duodenos gradus, & ad quindecim dicitur eſſe ſub radijs. Separatio autem dũ leuis planeta à ponderoſiori remouetur, & alteri iungitur.


Almutem autem hunc radios ingredi Solares, & cõburi à Sole malum portendit. Similiter Saturnum aut Martem eſſe in Scorpione, aut in fine Libræ, Horoſcopo, domo quarta, ſexta, vel octaua. Vt enim illa duo ſidera ſunt reliquorum infortunia, ſic hæc ſigna ſignorum infortunia appellantur. Quæ omnia vt facilius ab omnibus intelligantur, exemplo vno declarabo.

Exemplum eorum quæ hactenus dicta ſunt.

Caput. V.

PRo diuerſitate conſulentium (vti dictum eſt anteà) diuerſi morborũ ſignificatores ſumẽdi ſunt. Proinde in hac figura quia frater ægrotantis me adiuit, aſpicio domum tertiã, quæ fratrum locus eſt. Eiuſq; Domino inuento, video vnde ipſe, aut quis ab ipſo planetarum diſſociatur. Inuenio itaque Martem morbi ſignificatorẽ in ſeptima cæli parte, in ſigno nocturno, & paucarum aſcenſionum per oppoſitum aſpectum à

Saturno separatum. Vnde ilico colligo ipsum nephriticum esse, idq; potissimũ in dextera corporis parte.



Item ob positum Saturni in prima cæli parte, qui est rector sextæ sedis, ex capite ipsum laborare audacter pronuncio, præsertim in occipitio.

Verùm euimuerò, si amicus nulla affinitate iunctus, vel rogatus quisquam me de ægritudine cõsuluisset, dominum Horoscopantis signi, pro morbi significatore accepissem: videlicet Mercurium combustum, qui per retrogradationem à Sole separatur in vndecimo cæli loco. Cuius significatio cùm ob cõbustionem tùm retrocessionem nemini non perspicua esse potest.

Ali-

Aliqui ex quantitate diſtantiæ Almuten à Sole, vitæ quantitatem metiuntur, ſecundum quos ſingulis gradibus ſigni bicorporei, menſis vnus correſpondet, ſingulisq́; partibus ſigni mobilis, dies vnus.

Porro iudicium nouæ vel antiquæ ægritudinis à Luna & planeta, vnde Luna ſeparatur habemus. Hæc enim ſi à planeta Orientali ſeparata fuerit, morbum nouum iudicabimus: Secus ſi ab occidentali remota fuerit. Et ſi morbus antiquus, procedendum eſt ſecundum dominũ duodecimæ domus, eodem modo quo factum eſt, cum domino ſextæ

♄ ♃ ♂ à coniunct. ☉ ad eius oppoſit. Orientales: ab oppoſitione verò ad coniunctionem Occidentales.

♀ ☿ Dum Solem inſequuntur Occident. dum tempore matutino Solem antecedunt, Orientales.

☽ à Nouilunio ad Plenilunium vſque Occidentalis, A plenilunio ad nouilunium Orientalis appellari poteſt.

De Hepatis affectione.

CAPVT. VI.

PRo iecinoris affectione indaganda quinque loca in figura cæleſti conſideranda veniunt. Locus hepatis, qui ſemper eſt domus quinta à domo interrogantis, locus Iouis, Martis, Veneris, & partis hepatis. Quæ à Ioue in Martem ſumitur, & proijcitur à Venere. Et ille qui plura dominia eſſentialia in his ſibi vſurparit, Almutẽ hepatis

hepatis appellatur. Secũdum enim ſtatum à quo ipſe, vel quis ab eo ſeparatur, eſt tenor hepatis & ſtomachi. Si autem ſolitarius incedat ſine aſpectu & ſeparatione alterius, iudicandum ſecũdum eius naturam & loci ſui portionem.

Paradigma.

Domus	5	16	♓	♃	♀	
Locus	♃	11	♑	♄	♂	
Locus	♂	27	♓	♃	♀	
Locus	♀	5	♓	♃	♀	
Pars Hepatis		21	♉	♀	☽	

Reſiduum.

Domus	5	16	♓	♀	♀	♃
Locus	♃	11	♑	☽	♃	♂
Locus	♂	27	♓	♀	♂	♂
Locus	♀	5	♓	♀	♀	♄
Pars Hepatis		21	♉	☽	♃	♄

Venus in dignitatibus eſſentialibus cæteris omnibus præpollet, & quia à Luna ſeparatur per aſpectum quadratum, phlegma in iecore abundare certum eſt.

Tra-

Tractantur obiter quædam de inſpectione lotij.

Caput. VII.

HVc vſque de parte affecta ex aſtrorũ ſyſigia. Reſtat vt breuiter ſubiungamus facilẽ quãdam methodum iudicandi ex lotio , vt vtraque via procedentes certiores de laborante particula efficiamur. Quippe animantium natura principalibus partibus prauos humores vacuatura, horum interdum partem vnam per vomitum vel aluum, aliam per veſicam excernit : vnde morbi qualitas etiam deprehẽdi poteſt. Siquidem quãdiu à cauſis morbũ facientibus natura grauatur, & humorũ adeſt cruditas, tũc vt aliquid rectè excernatur fieri nõ poteſt, ſed vel liuida vel fetida, vel biliosa, vel cruẽta ſunt excrementa. Quæ omnia earum quę prȩter naturam ſunt affectionum in corpore ſymptomata. Vt Hippoc. comment. 4. Aphoriſ. 47. teſtatur vbi inquit. Excretiones liuidas, fœtidas, bilioſas, cruentas, omnes malas eſſe, niſi poſt morbi concoctionem ſeſe prodiderint. Id quod Hippocrates innuit dum Aphoriſmo præcedenti ſubiungit. Commodè tamen ſi prodeant bonæ. Ijs nobis ſignificans non continuo de ſalute ægroti dubitandum eſſe, vbi vrinã nigram, vel hypoſtaſes malas corpori vrinæ innatantes conſpexerimus. Egeſta enim quò ſubinde nigrior, bilioſior, hoc minus mala putatur, vtpote dum naturæ beneficio talis fiat excretio, & humorum expurgatio . Hæc ad vnguem teneat neceſſe, eſt quicunque de parte affecta ex vrina fęliciter iudicare velit, Vt igitur ad propoſi

tum

tum citra longas ambages reuertamur, dicimus eā vrinam bonam esse, nihilq́; erroris à concoctrice facultate commissum esse, cuius substantia & moles mediocris, subaurea, & contenta alba, leuia, & æquabilia ad matulę fundum vergentia. A cuius constitutione quo longius recesserit, hoc à vera sanitate remotius recessisse putandum est. Nec interim eo inficias diuersorum hominum vrinas pro complexionum differentia diuersificari, & quæ vni naturalis est alteri noxiam & præter naturam esse: Vtpote cùm cō stet ab actiuis qualitatibus has colorari, à passiuis autem inspissari vel clarificari. Puerorum enim valde iuuenum vrinę parum inferiores sunt subaureis, crassiori substantia & pluribus contentis, quàm vrinæ iuuenum ætate florentium, eo quod plurimum habent calidi natiui, & alimento copioso indigent. Senum vrina, alba est cum hypostasi parua & pauca, & veluti cruda. Frigidi enim sunt & sicci. Iuuentus quia biliosa, vrinam excernit rubram & tenuem. Genus muliebre domesticum paucis exercitijs vtens, vrinas habet decoloratiores, & magis obscuras & grossas, plura contenta continentes, idq́; ob excessum humiditatis, & abundantiam superfluitatum quæ à debili concoctione oriuntur. Nec muliercularum vrinæ cùm mouentur, vt masculorum vrinę turbantur, aut ex motione subsiliunt. Hæ sunt singularium naturarum proprię vrinæ, vnde quo cuiusque magis deflexerit, hoc maiorem in corpore turbationem factam esse indubiè existimandum est. Porro quò ex huius corpore partem affectam cognoscamus, hanc regionib⁹ quatuor distinguemus. Suprema circulus no

minatur, qui cerebro aut capiti tribuitur. Secunda arteriȩ vocali, pulmoni, & cordi. Tertia hepati, ventriculo, ſpleni, & inteſtinis. Quarta fundus dicitur. Hic membris quȩ ad generandi facultatem attinent aſſcribitur.

Iudicia ex ipſa Vrina.

Primum de eius qualitatibus vel coloribus.

Qualitas vrinæ.
- Alba, ex frigiditate morbũ prouenire ſignificat.
- Spicea, à caloris debilitate.
- Subaurea & Aurea, probæ concoctionis nota.
- Crocea & rubra, exaucti caloris teſtes.
- Vinea vt hepar animalis, aſſati ſanguinis nuncia.
- Paſſea vt ceraſa, quæ ad nigredinem inclinant toſtæ bilis ſignificatrix.
- Cerulea, humoris frigidi ſicciq; ſoboles eſt.
- Viridis, bilis, nota corruptiſsimȩ.
- Oleacia, colliquefactionem pinguedinis ſignificat.
- Nigra poſt
  - Rubram ceu viridem extremi caloris indicium.
  - Ceruleũ, vel liuidam ſummȩ frigiditatis nota.

Regulæ generales.

Quibus

Quibus pellucidæ ſunt vrinæ & albæ, malũ: præſertim ſi in phreniticis appareant.

Vrinæ mali coloris, quo pauciores hoc periculoſiores: quo copioſiores, hoc minus malæ.

Vrina rubra in ſpaſmo, Apoplexia, Epilepſia, Ptiſi, Colica, vt plurimum mortalis.

Vrina nigra ſalutaris in morbis, qui ab humore melancolico originem traxerunt, vel ſi à pharmaco excernatur.

De Subſtantia Vrinæ.

Subſtantia vrinæ:

- Craſſa, copiam humorum ſignificat. Sub firmis viribus craſſa permanens, morbum diuturnum: ſub infirmis, mortem. Craſſa ſubſidens autem breuiorem morbum, & naturam coctioni intentam indicat.
- Tenuis, cruditatem & obſtructionem notat. Si permanet aquoſa, maximæ cruditatis indicium eſt: Sin rubra vel lucida, inflammationis ſignum eſt. Si autem tenuis micta poſt craſſeſcat in acutis morbis declinationem portendit.

Regulæ.

Materiam ſpiſſam vel tenuẽ cognoſcimus per digitos manu tenentes matulam. In tenui enim vrina digiti per corpus vrinæ apparent, in craſſa minimè aut admodum obſcurè.

In crisi & morbo acuto quò crassior aut nigrior est vrina, hoc est minus mala.

Tenuis & biliosa diu durans, periculum minatur.

De quantitate Vrinæ.

Quãtitas vrinæ,
- Multa, significat
  - Resolutionem.
  - Copiã serosi humoris.
  - Siccitatem ventris.
  - Potum largiorem.
- Pauca, significat
  - Multã ventris deiectionem.
  - Obstrictionem renũ aut vesicæ.
  - Calorem febrilem.
  - Expulsiuę debilitatem.

REGVLA.

In morbis acutis vrina pauca propter vim morbi, aut deficiente humido, aut expellendi facultate debili, certa mortis indicium est.

Indicia ex contentorum diuersitate.

Contẽtorũ aliud
- Nubes, debilem naturæ facultatem indicat, & concoctionem quam natura incepit, non potuit perficere.
- Suspensum, mediocrem naturæ vim, & concoctionem arguit.
- Hypostasis
  - Qualitas
    - Alba.
    - Rubra.
    - Liuida.
    - Veneta.
    - Nigra.
    - Longa.
    - Lata.
    - Lenis.
    - Aspera.
  - Substãtia
    - Crassa.
    - Tenuis.
  - Quãtitas
    - Multa.
    - Pauca.
  - Positus
    - Suprema.
    - Media.
    - Infima.

REGVLÆ.

Hypostasis alba remissè, vt pus in Apostemate, vbi natura concoctionem molita est, est sanitatis indicium.

Hypostasis extensa alba, est signum pituitosi humoris.

Rubra Hypostasis bilis, & caloris est soboles. Huiusmodi quoque Orobæa est, id est similes vitello oui, quæ colliquantiam carnis vel renum significat.

Item arenulæ rubræ præter nephriticam paßionẽ, etiam tertianam, ob discrasiam caloris fæbrilis indicat.

Hypostasis liuida veneta & nigra, oppreßi caloris est nota.

Hypostasis longa, vt capilli, extorrentem in renibus calorẽ significat, & tenacẽ esse humorẽ testatur.

Hypostasis lata vt furfuracia, quæ cũ vrina crassa excernuntur, scabiem vesicæ significat: cum tenui colliquantem ardorem febris. Squamulæ hac tutiores. Laminea omnium pessima.

Hypostasis lenis, id est continua sibi nec aliquo modo rugosa, absque tenacitate, bona est.

Hypostasis aspera, cuius partes discretæ sunt, perturbationem significat, ab aliquo adulterino, id est, ex calido & humido composito & violento spiritu.

Hypostasis crassa, multum materiæ non coctæ arguit, excepta crisi.

Hypostasis tenuis, cruditatis & incipientium morborum augmentum præbet.

Hypostasis multa, à debilitate naturæ, & facultate naturæ prouenit, vt in diebus criticis.

Hypostasis pauca, ab oppilatione & exercitijs.

Hypostasis in suprema regione, vrinæ, indicat affectum cerebri. Media pulmoni, cordi, & arteriæ vocali attribuitur. Infima, mẽbris genitalibus, renibus, vesicæ, matrici.

Hypoſtaſis bona, quò magis ad fundum ſidit, hoc melior, non tamen contacto fundo.

Quibus per morbos cito contenta in vrina cernuntur bona, hij cito iudicantur.

Omnia contenta inferiora, potiora ſublimioribus.

Inflammatio, vrinam contentis priuat.

Imbecillima oſtenditur natura, cuius vrina, nihil ſedimenti vel ſuſpenſi, vel nubecularum habet, eſtq́; ea res in ægrotis apprimè formidanda. Sanis autem accidere interdum citra magnum incommodum poteſt.

Aphoriſmi aliquot de Vrina.

Caput. VIII.

QVibus non ſine febri Vrinæ ſunt craſſæ, grumoſæ & paucæ, ſi ab his tenues & copioſæ meiantur, proſunt. Maximè verò tales redduntur in quibus ſtatim ab initio, vel non ita multò poſt ſedimentum apparuerit.

Quibus per febres vrinæ turbatæ, quales iumentorum, ijs dolor capitis vel adeſt vel aderit.

Quibus ſeptimo die Criſis futura, ijs vrina rubram nubeculam die quarto habet vel albam, ſed hoc frequentius, illud autem rarius.

Quibus pellucidæ vrinæ & albæ ſunt, malæ: præſertim ſi in phreniticis appareant.

Si quis ſanguinem aut pus meiat, renum aut veſicæ exulcerationem ſignificat.

Quibus cum vrina craſſa exiguæ caruncula, vel

veluti

veluti pili exeunt, à renibus excernuntur.

Quibus cum vrina crassa, furfurosa quædam vnà exeunt, his vesica scabie laborat.

Qui inopinanter sanguinem meiunt, ijs à renibus venulam ruptam esse significatur.

Quibus in vrina subsidet sabulosa, ijs vesica calculo laborat.

Si quis sanguinem aut grumos meiat, aut vrinā guttatim emittat, dolore ad hypogastrium & pectinem, & perinæum pertinente, ad vesicam loca laborant.

Si quis sanguinē aut pus, aut squamulas meiat, & grauis odor adsit, vesicæ exulceratio significatur.

Mictu noctu plurimus, paruam deiectionē facit.

Nascuntur pueris calculi ob vesicæ calorem, totiusq; corporis.

Viris calculi ob corporis algorem non innascuntur, nam primo die homo in omni vita calidissimus est, postremo frigidissimus.

Quibus vrina tantùm est cruenta, his venæ laborant: Galenus in lib. de natura humana.

De Vrinæ Corona & Bullis.

Quemadmodū de vrinæ qualitate substantia & quantitate diximus, ita dicendum quoque est de Bullis in superficie vrinæ.

Diuiſio.

Coronæ
- Qualitas
  - Alba, pituitoſis } conuenit
  - Rubra, bilioſis
  - Liuida } Melancholiciis & comtialibus familiaris.
  - Plumbea
  - Nigra
- Quãtitas
  - Tenuis
    - Alba, aquoſi } humoris ſignum
    - Rubra, bilioſi
    - Nigra, melãch.
  - Spiſſa
    - Alba, plegmaticis
    - Rubra, ſanguineis,

Corona ſi meliorem quàm corpus vrinæ colorem exhibet, ſalutem prænunciat: ſi deteriorem, periculum.

Spuma in circulo ſi protinus euaneſcat, humores in corpore tenues ac probè percoctos indicat. Sin ſpacio longiore duret, humores in corpore crudos eſſe indicio eſt.

Bullæ vidẽtur
- Vel integra ſerie, & dolorem capitis ſignificant, idque eo magis quo ſunt coloratiores, & minus quo magis albæ.
- Vel ſparſæ, cruditatis, obſtructionis, & imbecilli caloris nunciæ ſunt.

Quibus in tenui vrina ſedimentis vacua bullæ cernuntur, fere hij longa magnaque rerum obſtructione laborãt. Tum autem bullas has in craſſa vrina cepiſſe melius eſt.

Subeſſe autem diſtillatio creditur, & humorum è cerebro defluxus, ſi bullæ inſtar exigui grani paruæ in corona herentes agitata vrina deorſum pelluntur, iterumque ad coronam aſcendunt.

De differentia pulſuum.

Pulſus eſt cordis & arteriarum motus ſenſibilis, corporis diſpoſitionem, & quãtum à ſua ſymmetria aberret, manifeſtans.

Diuiſio generalis.

In pulſu cõſideratur
- *Motus Diſtentionis, & Contractionis*, horum diuerſitas petitur à
  - Quantitate, an ſit longus latus vel profundus.
  - Tempore, an ſit velox vel tardus.
  - Facultate, an ſit vehemens vel debilis.
  - Arteria, an ſit durus vel mollis.
- *Tẽpus Quietis*, ſit ne
  - Creber.
  - Rarus.

REGVLÆ.

Optimus pulſus eſt qui medius eſt inter magnũ & paruum, inter celerem & tardum, inter crebrum & rarum, inter vehementem & languidum, inter mollem & durum, quiq́; bonam ictuum inter ſe proportionem habet.

Magnus pulſus, à facultate naturæ oritur.

Paruus è contra, ab imbecillitate naturæ.

Durus, arteriæ notat duritiem aut ſiccitatem.

Mollis verò, arteriæ humiditatem.

Pulſus velox, dicitur cum modico tempore arteria diſtenditur.

Tardus, contraria ratione cùm in diſtentione mul

tum temporis absoluit.

Creber, quando paruo interposito interuallo disten ditur.

Rarus, qui fit interposita longa quiete.

Intermittens, magnam debilitatem significat, & eo periculosior, quo diutius à motu quiescit, exitialis est Iuuenibus. Senibus autem non semper.

Deficiens pulsus, in quo non tantum ad duas sed ad tres vel plures ictus immobilis arteria permanet, extremam virtutis debilitatem denunciat.

Vndosus ceu fluctuosus, in quo arteria non eodem tempore tota attollitur, sed alia quidem eius pars prima, alia secunda, alia tertia motu continuo permanente instar elationis fluctuum, quorum alter semper priorem excipit.

Vermiculares, à gressu vermis dicitur, qui in modum aquarum quoque mouetur. Hic quantitate differt ab vndoso, postulat vterque mollem arteriam.

Formicans hic succedit vermiculari cúm extrema debilitate & frequentia & paruitate.

Caprisans, à capra dicitur qui aliquantulum intercisus deinceps multo velocior apparet, vel cum motus à quiete, alter celerior primo & vehementior est indicat robur naturæ, & expectationem prosperæ valetudinis pollicetur.

Bis feriens, sequitur quoque facultatem naturæ nõ penitus inualidam.

Serratus, quum quippiam videtur esse laxatum in arteria & hæc molliuscula tactui apparet, sequitur inflammationem partium neruosarum.

Con-

Conuulſiuus & vibratus, quando arteria locum vnum non tenet, ſed ſurſum & deorſum agitatur naturali ſede relicta, indicat periculum ſubeſſe, potiſsimùm ſi poſt febres calidas & magnas euacuationes oritur.

Tremens, vel à motu tali ipſius arteriæ vel à muſculis ad carpum mouentibus, Syncopen & mortem indicat.

Qui particulatius ſingulorum pulſuum differentias & cauſas vult cognoſcere, legat Galenum, qui fuſiſſimè de hac re diſputat: nos hic putamus quia Aſtrologica docere intendimus, generalem quandam horum deſcriptionem ſufficere.

Iudicia generalia, quæ ab ipſis conſtitutionibus generalibus deſumuntur.

CONſtitutio generalis cæli tantæ eſt facultatis aliquando, vt propriam cuiuſque conſtitutionem ſuperet. Particularis enim cauſa ab vniuerſali ſuperatur: vt fieri videmus, dum multa milia hominum vna eademque hora intereunt, aut in vno conflictu occiduntur, quæ à natali conſtitutione pendere, minimè credendum eſt, cùm ſinguli diuerſas natiuitates habeāt. Haud aliter eodem tempore anni diuerſos homines etiam diuerſarum complexionum iiſdem morbis corripi ſcimus, qui ſi à propriis cauſis non proueniunt, generali cælorum conſtitutioni aſcri-

bendi ſunt, quæ ſua facultate huiuſmodi in ſingu lis & omnibus hominibus producit: diuerſimodè tamen id fit, pro eo atque propria cuiuſque conſtellatio vel generali aduerſatur, vel cum ea cõcordat. Nam ſi contrarietas fuerit inter propriã & generalem, parum vel nihil à generalibus influentijs quis damni patietur. Sin vtriuſque eadem fuerit ſignificatio, vel ſimilis, effectũ Aſtrorum proculdubio non euadet, eoſdem'q́ cum ceteris hominibus, Epidimicos morbos ſentiet. Ob hanc cauſſam qui diligenter Aſtrorum operationes inquirunt, non contenti ſunt conſtellatione cuiuſque propria ex ipſa natiuitate, ſed inſuper hanc cum generalibus conſtitutionibus Aſtrorum conferunt, ex quarum mutua collatione de morbis qui huic vel illi moleſti erunt, admodum probabiliter iudicant. Hæc videtur ſignificaſſe Hippocrates dum ex diuerſa conſtitutione partiũ anni diuerſos morbos futuros eſſe in hominibus docet. Scio equidem Hippocrates in eo libro attribuit caliditatibus, frigiditatibus, humiditatibus & ſiccitatibus aëris, nec vllam Aſtrorum facit mentionem: tamen inde concludi nequit ab ipſo infirmitates aſtris non aſſcribi. Nam ſi hę qualitates ſenſibiles tantarum ęgritudinum cauſſæ ſunt, & aſtra cauſæ erunt ſecundum maximam illam vulgarem, quæ habet id cauſati cauſam eſſe, quod cauſæ cauſa eſt. Sed de hac re aliàs copioſius: hic ſatis eſt regulas quaſdam breues & faciles addidiſſe de quauis ægritudine iudicandi. Quo itaque, quid Hippocrates de generalibus Aſtrorum conſtitutionibus ſentiat, intelligatur, Aphoriſmos eius ſubijciam, qui commentario III. Aphoriſmorum habentur, vbi ſic inquit.

Aphoriſ-

APHORISMO XI.

Inter anni partes, si Hyems sicca & aquilonia, ver pluuiosum & australe fuerit, AEstate necessè est febres acutas fieri, & ophthalmias & dissenterias mulieribus, præsertim & viris natura humidioribus.

APHORISMO XII.

Si Australis Hyems & pluuiosa & tepens fuerit, Ver siccum & Aquilonium, mulieres quibus partus in Ver incidit, quauis occasione abortiunt, aut si pariant tam infirmos & morbosos partus edunt, vt vel statim ipsi intereant vel tenues vel valetudinarij viuant, cæteris disenteriæ & ophthalmiæ siccæ fiunt, & senibus catharri breui perniciem allaturi.

APHORISMO. XIII.

AEstate sicca & Aquilonia, Autumno pluuiosa & Australi, vehementes capitis dolores in Hyemem & tusses, & grauedines & raucitates nonnullis etiam tabes expectandæ.

APHORISMO XIIII.

Aquilonio & sicco Autumno, hominibus natura humidis & mulieribus commoditas parabitur. Alios ophthalmiæ siccæ, & febres partim acutæ, partim longæ, quosdam etiam melancholiæ malè habebunt.

APHORISMO XV.

Ex tempestatibus anni in vniuersum siccitates assiduis imbribus salubriores, & minus mortiferæ.

APHORISMO XVI.

Aßiduis imbribus, morbi ferè fiunt febres longæ, fluxiones alui, putredines, epilepsiæ, apoplexiæ, anginæ. Siccitatibus autem morbi tabifici, ophtalmiæ,

arti-

articulorum dolores, vrinæ & inteſtinorum difficultates.

Hippocrat. de aëre, aquis & locis.

Quod ſi cui hæc ſublimiora videantur, is ſi ab hac ſententia diſcedat, diſcet ſanè non minimam partem conferre ad rem medicam ipſam Aſtrologiã, ſed omninò plurimam, quum vnà cum temporibus, & ventriculi in hominibus mutentur.

Hippocrates de aëre, aquis &c.

Quicunq; artem medicam integrè aſſequi velit, primum quidem temporum anni rationem habere debet, quantum potentia quodlibet eorum valeat: non enim ſimile quicquam in illis exiſtit, verum differũt nimirum propter varias quæ in ijs fiunt mutationes.

Hippocrates de Inſomnijs.

Aſtrorum circuitus exterior eſt in corpore, Solis medius, Lunæ verò ad cauitates.

MEDI-

MEDICINAE ASTROLOGICAE DE Phlebotomia, & Purgationibus.

PARS IIII.

Caput. I.

POst partem κριτικὴν appellatam operę precium eſſe putaui breuiter ſubiungere aliquid de venarũ ſectione, & humorum in corpore redundantium euacuatione per catharctica, vtpote quæ inuicem adeo ſunt confinia, vt inde nihil emolumenti ſit habiturus ęgrotus à medico, niſi & hanc ad vnguem didicerit. Non enim cognita cauſa tollitur effectus, ſed ea ablata, teſte Ariſtotele & alijs philoſophis. Quòd eò libentius & magis faciendũ eſſe crediderim, quod hæc paſsim à vulgaribus medicis contemni videam, qui indifferẽter quouis tempore venam ſecari poſſe obſtinate contendunt, omnemq́ humorem ſollicitare nullo habito reſpectu ſignorum, Aſpectuũ, Temporũ, aut complexionis. Cùm interim hæc terreſtria ſympathia quadam orbium cęleſtium affici videmus in morbis qui ſecundum curſum Lunæ varium in zodiaco planetarum, nunc hoc nunc altero accedente aſpectu, aut lethaliter incandeſcunt, aut miteſcunt ſuauiter. Quamobrem vt huic malo deinceps occuratur, paucis ſententiam noſtram de tempore aperiendi venã

&

& electione pharmaci purgatorij & aliorum medicamentorum aperiemus.

Electio ſectionis Venarum.

Caput. II.

PRimum conſiderentur hæc generalia, Aetas, Vires, Regio, vel anni tempus commodum, niſi neceſsitas vrgeat, in hoc enim electio, neceſſitati poſtponenda. Præter hæc neceſſe eſt vt intueamur Lunæ configurationem cum Sole, nam iuuenibus conuenit, Luna creſcens lumine: ſenibus autem & ætate prouectioribus diminuta.

Item Signum notandum eſt, quod Luna occupat, pro ratione complexionis nati.

Signa idonea		
	Sanguineis	♉ ♍ ♑
	Cholericis	♋ ♏ ♓
	Phlegmaticis	♈ ♐
	Melãcholicis	♎ ♒

Hæc veritatem habent, modo Saturnus aut Mars, in radice natiuitatis, ea ſigna non occupent, aut infœliciter aſpiciant.

CANON.

Coniunctio Lunæ & Iouis, ſimiliter Lunæ & Veneris, optimam faciunt minutionem ſanguinis, modò Venus non ſit combuſta.

Aſpectus

Aſpectus ad ſectionem Venæ vtiles.

Coniunctio, quadratura ſextilis & trigonus aſpectus Lunæ & Iouis, ſimiliter Lunæ & Veneris, vtilis eſt.

Trigonus, & ſextilis Solis & Mercurij, & Iouis vel Lunæ, ſectionem Venæ vtilem reddunt.

Similiter trigonus Lunæ & Martis, vel eorũdem ſextilis, ſanguinis miſsionem promouet.

Aſpectus, ad ſectionem Venæ inutiles.

Coniuuctio Solis & Lunæ, impedit minutionem.

Coniunctio Saturni & Lunæ, per tredecim gradus ante & poſt.

Coniunctio Lunæ cum capite vel cauda Draconis, diem vnum ante & poſt ſectioni inutilis.

Coniunctio Lunæ & Mercurij, ſi fuerint cõbuſti, id eſt, nõ vltra duodecim gradus à Sole deſtiterint.

Oppoſitio Solis & Lunæ, impedit phlebotomiam diem vnum ante & poſt.

Oppoſitio Saturni & Lunæ, ſimiliter per diẽ vnum à ſectione venæ abſtinendum eſſe indicat.

Oppoſitio Martis & Lunæ, venam ſecãdam eſſe negat, niſi diſtent tredecim gradus.

Quadratura Solis & Lunæ, impedit per medium diem: tutius tamen eſt per totum diem à phlebotomia abſtinere.

In minutione ſanguinis, aſpectus maleficorum planetarum diligenter ſunt conſiderandi: plerumque enim accidit vt quicunque in hiſce venam aperiunt, difficulter ab ægritudine qua laborant, liberentur.

Omnino

Omninò autem cauendum, ne membrum ſcalpello feriatur, cuius membri ſignum Luna occupat, præſertim ſi ipſa fuerit impedita in aſpectu maleficorum, vel obſeſſa à maleficis, vel ipſi malefici radijs hoſtilibus ſeſe aſpexerint. Nam cum ea totum corpus humectet, id membrum præcipuè humoribus implet, quod ei ſigno ſubijcitur, per quod tum ipſa diſcurrit, ex cuius tunc nimia humectatione, magnum ei nocumentum afferri poteſt. Signum verò cui membro præſit, ſuprà dictum eſt.

Hyppocrat. de aëre, aquis & locis.

Maximè autem obſeruare oportet, magnas temporũ mutationes, vt neque in illis medicemur neque vramus, neque ſecenius priuſquàm præteriant dies decem aut plures & non pauciores. Periculoſiſsima ſunt ambo Solſtitia, maximè vero Æſtiuũ. Periculoſum etiam Æquinoctium vtrnmque magis verò Autumnale. Oportet autem & aſtrorum ortus conſiderare, præcipuè Canis, deinde Arcturi, & Pleiadum occaſum.

Luna libera ſit ab impedimentis maleficarũ, & beneficis amico radio configurata. Quod ſi tibi conſtiterit de eius natiuitate, diligenter inueſtiga, quæ ſigna malefici occupẽt. Nam ea incommodiſsima ſunt miſsioni ſanguinis. Deinde caue ne eo momento aſcendat ſignum tale, quod in radice 12.6.vel 8.domum occupet, aut in quo malefici verſabãtur, aut ſuos radios hoſtiles ſparſerunt. Tertiò, caue ne dominus aſcendentis ſigni ſit tempore phlebotomiæ in quarta cum Luna aut cum Domino octauæ configuratus. Ma-
lefici

lefici cadāt ab angulis. Postremò, septima & eius Dominus non impediantur à maleficis, nam hic locus Chirurgum significat.

Potiones quando ægrotantibus dandæ.

Caput. III.

PRimò quantum fieri potest, & nisi maiora vetent pericula, habenda est ratio partiū anni. Vere corpora commodius purgantur quàm Æstate aut Hyeme. Difficilius circa Canis ortū & occasum, item frigidissimis & calidissimis diebus.

Obseruanda est Luna quę decrescens lumine, & ab impedimentis maleficarū, aut coniunctione cum planeta retrogrado libera, commodior est purgandis humoribus, nisi prorsus Soli coniuncta sit, tum enim prohibitum est ægrotis medicinam præbere.

Signum per quod Luna decurrit notandum. Aquea ♋ ♏ ♓ maximè sunt idonea subducendis prauis humoribus phlegmaticis, propterea quod Luna humectatrix, in similibus suæ naturæ signis vires suas magis exercēs, aluum etiam efficacius citat. Aërea signa ♊ ♎ ♒ commodiora sunt melancholicis humoribus purgandis. Ex his tamen imbecilliora sunt ♋ ♊ quia præsunt superioribus partibus corporis, & magis vomitum quàm aluum mouent.

Habenda eſt ratio aſpectuum aliorum planetarum cum Luna. Saturnus & Mars Lunam aſpicientes impediũt medicationes. Sol & Venus bono aſpectu cum luna iuncti, iuuant. Iouis autem & Lunę coniũctio, omninò hebetat catharticam facultatem, ita augẽs corporis vigorem, vt medicamenti vis parum poſsit.

Caue ne aſcendãt ſigna ruminantia ♈ ♉ ♑ ♌. Signa ſuperioribus partibus corporis dominãtia impediunt, quo minus ſordes ad inferiora ferantur. Aptiſsima ſunt Aquea. Luna quoq; non ſit iuncta cum planeta Retrogrado, ſignificat enim medicinæ euomitionem.

Dominus ſigni horoſcopantis iungatur corpore vel aſpectu planetæ alicui ſub terra verſanti. Nam coniunctus ſtellæ ſupra hemiſpherium exiſtenti, nauſea mouebitur ſtomachus, quod purgationem ipſam impediet.

Si vis purgare Melancholiam, applicet ſe Luna Ioui, excepta Coniunctione. Si Choleram, applicet Luna Veneri. Si Phlegma, applicet ſe Soli aut Marti, radio ſextili vel trigano.

TOPICA

TOPICA.

EXplicatis igitur ijs, quæ de medicamentorum exhibitione dici debebant, operæpreciũ me facturum existimaui, & rem studiosis maximè frugiferam, si immediatè topica medicamenta subiunxero, vnde ceu locis communibus simplicia cuilibet parti corporis & morbis omnibus appropriata, quo morbidi in corpore affectus facilius auferantur, quisque sibi seligere potest. Nam vt non omni tempore medicamenta, præsertim laxatiua conueniunt, ita nec omnes herbæ omnibus morbis, sed pro partium & humorum diuersitate hęc illi, altera alteri. Hoc est quod à Philosophis dicitur simplicia membris & humoribus debere esse appropriata, non enim satis est aluum lubricam reddidisse, aut corpus ferè multis catharcticis exinanijsse. *Quæ namque vacuantur teste Hippocrate multitudine metienda non sunt, sed si quæ operteat vacuentur & facilè ferant ægroti.* Quippe si ex ijs quæ mali non sunt aucto res quippiam educantur, tunc vires solui ipsumque ægrotum grauitatem sentire necesse est. Herbarum itaque natura & facultas & quæ parti affectę & humoribus peccantibus magis conueniant, summa cum diligentia indagandum est.

Simplicia membris singulis appropriata.

- Simplicia
  - Capiti
    - Nux muſcata
    - Peonia
    - Stæcas
    - Viola
    - Nimphea
  - Pulmoni
    - Capillus Veneris.
    - Hyſopus
    - Paſſulæ
    - Glycirrhiſa
    - Hordeum
    - Iniube
    - Sebeſten, viola
  - Cordi
    - Borrago
    - Bugloſſa
    - Cinamomum
    - Roſa, Meliſſa.
    - Viola, Crocus.
    - ~~Manus Chriſti perlati~~
  - Ventriculo
    - Aniſum, Roſa.
    - Menta, Viola,
    - Maſtix, Lactuca.
    - Cinamomnm
    - Zinziber
  - Hepati
    - Fumus terræ
    - Agrimonia
    - Aſparagus
    - Fœniculus
    - Cichorium
    - Endiuia
    - Acetoſa

Spleni

- **Simplicia**
  - **Spleni**
    - Tamaricæ *rad.*
    - Scholopendriæ
    - Capparis
    - Cuſcuta
    - Endiuia &c.
  - **Renib'**
    - radix
      - feniculi
      - petroſelini
      - apij
      - Aſparagi
    - ſaxifragia
    - Milium Solis.
  - **Iuncturis**
    - Aſarum
    - Acorum
    - Camedris
    - Chamepithis
    - Epithimus
    - Calamentum
    - Solatrum
  - **Matrici**
    - Sabina
    - Pulegium
    - Calamentum
    - Nepeta
    - Arthemiſis.

Tabula Digestiuorum.

Digestiua

- Cholorae
  - Cichorium
  - Endiuia
  - Lactuca
  - Portulaca
  - Viola

Concoctionem, bilis flaua requirit, non vt crassitiem adipiscatur, sed vt ipsa morbi effectiua à natura alteretur.

- Phlegmatis
  - Hysopus
  - Capillus veneris
  - Origanum
  - Radix
    - Feniculi
    - Petroselini
    - Apij
    - Asparagi

Galenistis lenta frigida & crassa materia, prius est concoquenda, attenuanda, & incidēda, quò facilius medicamento purganti pareat. Aliter enim purgatio non succedit absque torminibus, vertigine, & nausea.

- Melancholiae
  - Cappares
  - Tamarix
  - Thymus
  - Epithimus
  - Hysopus
  - Scholopendria

Digestiua

Digeſtiua Laxatiuis & Laxatiua humoribus correſpondeant.

- Laxatiua
  - Choloræ
    - Diaprunus
      - Simplex
      - Cõpoſitus
    - Lenitiuum
    - De ſucco roſarum
    - Caſsia. Rhabarb.
    - Manna
  - Phlegmatis vel aquoſitatis
    - Diaphenicon
    - Diacartamus
    - Indum minus
    - Diaturbit. Aloë
    - Succus ireos
  - Melancholiæ
    - Diaſenæ
    - Hamech
    - Sene
    - Polipodium
    - Thymus
    - Epithimus

Poſt aſſumptionem pharmaci vomitus inhibetur ſi aſtringens aliquot ilico ſumatur, vt ſunt Mala aurantia.

NOTA.

Qui potione medica dum purgantur non ſitiunt, ipſorum purgandi finis non fit donec ſitiuerint.

Quæ vacuantur multitudine metienda non ſunt, ſed ſi quæ oportet, vacuentur cum euphoria.

Quæ conſideranda ſunt ante exhibitionem Laxatiui.

IN primis natura ęgri eſt conſideranda, ſi difficilis aut facilis eſt euacuationis.

2 Victus præcedens. Qui enim tenui & exquiſito victu vtuntur, paucis excrementis abũdant, quare minori quantitate medicamenti opus eſt. Qui verò plenius aluntur, multis recrementis abundare ſolent, quare maiori medicamentorum quãtitate medicamentorũ proportio ſemper correſpondet humoribus euacuandis.

3 Regio, tempus, æris & cæli conſtitutio. Hæc enim ſi frigida & ſicca ſunt, augenda eſt medicamentorum doſis. Contraria conſtitutio minuẽdam ſuadet.

4 Ætas. Puerilis enim ætas ob humiditatẽ facilè diarrhæa corripitur.

5 Sexus. Mulieres enim, cùm ſint natura humidiores minori medicamenti quantitate mouentur quàm viri.

6 Conſuetudo. Medicamenta enim familiaria reddit conſuetudo.

7 Humor. Si enim pituita tenuis, ſufficit agarici drachma vna, niſi in partibus remotis poſita fuerit. Sin craſſa & viſcida, opus eſt ſeſquidrachma.

8 Locus. In ventriculo & inteſtinis, ſatis eſt drachma vna agariti. In capite, thorace, vel articulis, augenda eſt eius doſis.

9 Morbus. In apoplexia, & letargo, quia facultas expultrix ſopita eſt, & mens occupata excrementa ſurſum trahens medicamenti magna quantitas parũ euacuat. Similiter in phrenitide.

Con-

Constrictiua
- Balaustium
- Cotoneum
- Ribes
- Sorba
- Mespilum
- Poligonum
- Bursa pastoris

Si ab imbecillitate fluor accidat, vtendum ijs quæ robur addere solent, vt sirapium de absinthio, menta cum puluere cinamomi.

Repercussiua
- Choleræ
  - Rosa
  - Solatrum
  - Mora immatura
  - Plantago, Bolus
  - Oui candidum cum rosaceo
- Phlegmatis
  - Absinthium
  - Squinantum
  - Mastix
  - Thus
  - Rosmarinus

NOTA.

Repercussiua in principio & augmento appli camus tantùm, vt materia fluens repellatur. In statu verò resolutiua duntaxat.

Resolutiua
- Cholericæ materiæ
  - Folia maluæ
  - Violarum
  - Folia althææ
  - Helxinę
  - Farina fabarum
  - Farina hordei

Resolutiua { Grossæ materiæ { Chamomillæ / Melilotum / Semen lini / Fenugreci / Farina tritic i

NOTA.

Signa resolutionis sunt leuitas & carentia pulsationis & doloris.

Maturatiua {
- Calidæ materiæ { Althæa / Lilium / Folia maluæ / Violarum / Farina hordeacea.
- Frigidæ materiæ { Semen lini / Fenugreci / Melilotum / Cæpe / Allium / Ficus siccæ

NOTA.

Signum maturationis est dolor & pulsatio, cum augmento caliditatis. Hippocr. Dum pus fit, febres accidunt magis, quàm confecto pure.

Apertiua { Cauterium actuale & potentiale. / Ficus / Fermentum / Fimus columbinus / Calx / Sapo / vel fiat phlebotomo hæc apertura.

Ante

Ante omnia considerandum est, vt incisio fiat secundum villorum positionem in loco decliuiori, & nerui longitudinem, si locus sit neruosus, aliàs similiter huic characteri —, est faciẽda.

Mundificatiua:
- Terebinthina cum digestione
- Mel
- Mel rosarum
- Saccarum
- Succus apij
- Aqua aluminosa cum exsiccatione

Corrosiua:
- Flos æris
- Alumen
- Sublimatum
- Vnguentũ ægyptiacum
- Apostolorum
- Præcipitatus

Sarcotica:
- Thus
- Mirrha
- Mastix
- Aloë
- Sarcocolla.

Cicatrizatiua:
- Frigida
  - Cerusa
  - Bolus
  - Rosa
  - Tutia
  - Litargirium
- Calida cũ mordicatiõe
  - Alumen combustum
  - Calx decies lota

Vesicantia:
- Cantharides ablatis alis & pedibus.
- Ciclamen
- Mel anacardinum.

Quantitas miſcendorum.

Miſcẽtur iu quantitate

- Maiori, vnde potiſsimùm dependet actio, ceu operatio medicamenti.
- Minori
  - Ingrata
    - Amara
    - Acerba
  - Nimis efficacia, in quarto gradu calefacientia vel refrigerancia.
  - Caſtigantia.
  - Aperiẽtia / Deducẽtia — niſi ex æquo affectui conueniant.
  - Cientia Vrinas
- Aequali, æqualiter affectui appropriata.

AD MEDICINÆ CANDIDATVM PERORATIO.

Habes nunc Philiatre communes aliquot iudicandi formulas de diebus Criticis & parte affecta ex ſtellarũ adinuicẽ habitudine, & vrinæ conſtitutione, in hoc conſcriptas, vt facilem & breuem methodum de morbo quolibet iudicandi habeas, & plus iudicij ex auctorum lectione adferas. Quarum editione nihil aliud volui quàm prodeſſe, & à difficultatibus quæ cum maximò temporis diſpendio te in medicinis cruciare poſſent, liberare, ſimulq́; commonſtrare præceptionum Hippocratis, Galeni de Mathematica, & diebus Criticis non pœnitendum vſum.

Cuius

Cuius tenuißima (non ausim dicere nullam) hodie habetur cura in tanta de morborum iudicijs controuersia. Ob quos labirinthos ingenia remorantur, & inextricabilibus laqueis implicantur, & à vero medicinæ vsu abducuntur. Quod si quæ volui præstiti me gratiam initurum apud studiosam iuuentutem non dubito. Sin minus, me veniam apud candidatos de hoc licet immaturo fœtu consequuturum spero: probè memores facillimũ esse aliena ociose carpere, & difficillimũ imitari, iuxta illud. Quòd scire graue carpere cuique leue. Quamobrem quæ rudi (vt dicitur) minerua hic conscripta sunt, æqui boniq; consule. Spero vbi cuncta ad iustum examen perduxeris tibi profutura, tum, in Hippocr. tum Galeno & alijs qui de hac re doctissimè scripserunt. Quòd vtinam ab omnibus fieret, mirum quanta dexteritate ingenij de partibus affectis, morbiq; natura iudicarent. Perge interea Philiatre quo cepisti modo & hãc meam fœturam qualemcũque amplectere tuis commoditatibus excusam.

FINIS.


Liber hic doctus est, & dignus qui Typis excudatur nihil habens Reipub. offensiuum aut S. Romanæ Ecclesiæ fidei contrarium quod attestor.

Sebastianus Baer Delphius, insignis Colle. Ecclesiæ, S. Mariæ Hantuerpiẽ. Plebanus & Canonicus.

PRACTICA
CHIRVRGIAE
BREVIS ET FACILIS,

OMNIBVS HVIVS ARTIS studiosis apprimè necessaria, singularem & facilem modum extrahendi Olea ex Floribus, Herbis vulnerariis, Ligno Guaiaco, & Cera continens.

Auctore Cornelio Schylandro Albißensi apud Antuerpianos Medico.



ANTVERPIÆ,
Apud Antonium Tilenium ad insigne Struthionis. 1577.
Cum Priuilegio Regis.

Summa eorum, quæ in hac Practica continentur.

PARS I.

De Vulnerum diuersitate, eorumq́ curatione, & curandi methodo, in qua docetur modus extrahendi Olea ex Herbis Vulnerarijs, & Terebinthina.

PARS II.

De Hulcerum differentijs, & facili eorundem curandi ratione, in qua Praxis docetur distillandi Oleum Guaiaci, & Oleum Ceræ.

PARS III.

De Apostematum varietate, & eorundẽ cura.

PARS IIII.

De Membrorum Luxatorum facili medela

EXIMIO, NEC NON CLARISSIMO VIRTVTE ET eruditione M. Arnoldo Barzio, Domino in Ridderuoorde & Franconatus Brugensis Consuli dignissimo, Cor. Schylander S. D.

HAEc medecinæ Pars, quæ Chirurgia dicitur inter Therapeuticæ partes potissima est ab Hippocrate, Galeno, Paracelso, aliisq́; doctoribus adeò celebrata, vt piaculum & nephas esse arbitrentur, si quis hanc publicè vel priuatim exercens, medici nomen sibi non vendicat. Quippe ea sine pharmaceuticæ & dieticæ adminiculo, penitus inperfecta est, tantoq́; his societatis vinculo iungitur, vt sine harum cognitione eam nemo feliciter profiteri possit. Hulcera enim aut apostemata, aut aliæ cutaneæ affectiones à minera interna natiuitatem suam habent, quam natura per cutem tanquā emunctorium expellit. In vulneribus autem internarum impuritatum fit ebullitio ab ira vel alia animi commotione, quarum, nisi debita fiat resolutio, labor Chirurgiæ irritus erit, frustraq́; topica sua remedia applicare hæc docebit. Hæc ne cui obscura falsáue videantur, Hippocratem legat, de officina medici, vbi quæ emplastra, vnguenta & instrumenta medicis necessaria sunt, luculenter ostendit. Perpendat eundem vbique hulcerum & abcessuum radicem primo funditus euellendam esse inculcare: cogitet nus-

quam non debitam victus rationem instituendã esse docere, manifestissimè Chirurgos medicos esse debere, artemq; tonsoriam, chirurgiam minimè debere appellari intelliget. Sed quid in hisce recensendis prolixior sum? ipsa quippe medicinæ definitio chirurgiæ ad vnguem conuenit: ergo si Chirurgia medicina est, & Chirurgum medicum esse debere, nemo sanè mentis inficiabitur. Itaque non veri Chirurgi sunt appellandi, qui preter vnius, & item alterius emplastri compositionem in tonstrinis nihil didicerũt, nõ tonsores, balneatores, & mulierculæ imperiti, qui nulla physica ratione imbuti, confidenter se quiduis curare posse iactitant, & tanta (proch dolor) temeritate hanc artem sibi adscribũt, vt ab hac viros alioquin expertissimos excludant, eos medicos tantùm esse asserentes, & non Chirurgos, quasi chirurgus medicus minimè esse deberet, & medicus esse posset, qui chirurgiæ sit imperitus. O Deum immortalem, itáne chirurgiæ veræ pristinum illud decus obscurari decet? itáne viros, qui in ea consenuerunt, suis priuilegijs frustrari fas est? Quid Doctor, obsecro, quam qui vnà cum arte (de bullatis & facticijs doctoribus non loquor) eandem docendi & profitendi potestatem habet? Quid Licentiatus, quam cui licentia data est, hoc est, permissum est, artem quam didicit profiteri? Quid Baccalaureus, quã cuius caput ob singularem quam habet in arte chirurgica eruditionem lauri baccis coronatur? Si igitur hi sedulam operam, quo ægrotis subueniant, toto vitæ suæ crurriculo, chirurgiæ nauarunt, profe-

ctò li-

ctò liberè sine tonsorum, balneatorum, & muliercularum contradictione, hanc medicinæ partem vbique locorum profiteri poterunt. De origine vulgarium chirurgorum; quos Tonsores appellamus, lege Vesalium in epistola, quã operi suo de Fabrica humana præfixit, vbi caussam addit, cur Chirurgia à medicina hodie sit, non sine magno mortalium incommodo separata. Hæc non scribo doctissime Barsie, quod Tõsorum antiqua priuilegia iam pridem concessa abolere velim: sunt enim hic Antuerpiæ tonsores expertissimi. Profiteantur artem hanc quicunque velint, frigus quo duramque famem depellere poßint, mea nihil interest. Abusus hic tantum indico, & ne amplius huius artis professionem, cum maximo reipub. detrimento indoctis concedant, Chirurgos omnes medicos esse debere, artemque Tonsoriam vel Balneatoriam à Chirurgia diuersam esse dico. Quæ ideo paulò altius repetenda esse duxi, vt quantum moderna Chirurgia à pristina illa & vera defecerit, quantumque pristinus ille chirurgiæ fulgor, iam inter tonsores obscuretur, cognoscas. Nec sane sine ratione tecum moecenas optimè, hac de re agendũ fuit: tu enim es, qui huius Chirurgiæ studijs temet oblectas: tu es à quo solo Chirurgia (eheu) collapsa, integrè restitui & reformari potest: tu es, qui præ singulari tua eruditione, quid vitij vel defectus inter chirurgos tonsorios latet, dispicere nouisti: tu es qui dum germana chirurgia ab illegittima in ius vocatur, illam defendere potes. Quamobrem ea quæ in Chirurgia apud Bogardenses publicè prelegi Ant-

uerpiæ in formam Catechiſmi contrahere, tuæ-
qúe Dignitati nuncupare viſum eſt. Hoc enim (ni fal
lor) pacto rudiores huius artis facilitate allecti, ma-
iori ſtudio huic perdiſcendæ animum applicabunt,
multiq; ad hanc artem incitabuntur, quos alioquin
in artis limine difficultas abſterruiſſet. Noui equi-
dem Zoili in me odium, noui & Momi detractiones,
ſed modò ex hac mea lucubratiuncula ad ſtudioſam
Chirurgiæ iuuentutem, aliqua dimanarit vtilitas, ni
hil moror. Facillimè enim huiuſmodi hominum mon
ſtra, rationibus meis profligabo. Age itaq; mi Bar-
zie, tuo patrocinio Chirurgia tabeſcens reflorere
incipiat, te patrono extincta reuiuiſcat, atque ab or-
co (vt dicitur) in lucem reuocetur: te auctore profeſſo
res docti, qui eam in oppidis prælegant cōſtituantur.
Ita enim priſtino ſuo nitori ad maximam Reipub.
vtilitatem, tandem reſtituetur. Cura vt valeas
Antuerpiæ ipſis Calendis Iulij Anno à Christo nato
1577.

PRACTICA CHIRURGIAE, BREVIS ET facilis Cornelij Schylandri.

Lectio prima.

DE DEFINITIONE CHIrurgiæ, & operatione Chirurgi.

Doctor.

AGedum Chirurge. Quid est Chirurgia?

Chirurgus.

Chirurgia est affectus præter naturam per incisionem, vel concinnationem methodica ablatio, nec non vulnerum & hulcerum curatio.

Doctor.

Rectè: Sed cur dicis per incisionem & concinnationem?

Chirurgus.

Huius artis duæ sunt partes, Synthesis & Analysis. Per Synthesin artus luxati in pristinam sedem reponuntur: per Analysin verò, quæ coniuncta sunt, diuiduntur, vt fit in abcessibus & herniosis.

Doctor.

Tu sanè duas Chirurgiæ primarias partes breuiter perstringis: sed vlterius. Quomodo

Chirurgus medetur cum natura ab Hippocrate morborum medicus esse dicatur?

Chirurgus.

Id in diuerso genere caussæ contingit. Natura enim sola est caussa efficiens curationis. Chirurgus autem, ministrans vel custodiens: ministrat enim medicamenta, & quo melius operationem suam natura perficiat, hanc à cęli iniuria præseruat.

Doctor.

Scio: Apollo rigat, natura autem est, quæ incrementum dat. Sed quæ est hæc methodica ablatio, cuius tu mentionem facis?

Chirurgus.

Vt primò materiam vulnerum vel hulcerum digeramus: & secundò, digestam, vel con coctam mundificemus.

Doctor.

Quare quæso?

Chirurgus.

Quia, quæ matura, coctáue sunt, medicari ac mouere oportet, non etiam cruda, vt habet Aphorismus.

Doctor.

Quomodo tandem materiam digestam euacuabimus?

Chirurgus.

Vnguentis vel emplastris in parte decliuiori. Quæ enim educere oportet, quo maximè vergere videbuntur ducito.

Do-

Doctor.

Est ergo hæc absoluta Chirurgorum methodus?

Chirurgus.

Nequaquam: sed de sua cuiusque methodo, in proprijs Lectionibus dicemus.

Lectio Secunda.

DE DIFFERENTIA VVLNERUM, & eorundem curatione.

Doctor.

Quid est Vulnus?

Chirurgus.

Vulnus est solutio continui, cruenta & recens.

Doctor.

Caussa solutionis quæ est?

Chirurgus.

Incisio, quæ fit gladio, vel ab alia re quapiam scindente. Contusio, quę fit à re aliqua obtusa, vt est lapis, lignũ &c. & perforatio, quæ fit telo, vel alia re simili acuta.

Doctor.

Est ne horum omnium eadem methodus?

Chirurgus.

Est profectò.

Doctor.

Quæ nam est ista?

Chirurgus.

Oblato vulnere, ſanguis ilicò non eſt reſtringendus: ſed paulatim fluere permittēdus eſt, donec feruor ſanguinis ex ira vel magna animi perturbatione ſit ſopitus.

Doctor.

Putas igitur ex intempeſtiua ſanguinis ſuppreſsione aliquid nocumenti accidere poſſe?

Chirurgus.

Maximè, per vulnera enim non minus noxia expurgantur, quam per venæſectionem.

Doctor.

Interim dum ſanguis ſtillat: quid homini irato, vel grauiter cōmoto eſt exhibendum?

Chirurgus.

Ea quæ ſanguinis feruorē vel ebullitionem extinguere ſolent, qualia à medicis præſcribi ſolent.

Doctor.

Quodnam porro eſt illud?

Chirurgus.

Gummi elemij, decoctum in *vino Rhenenſi.*

Doctor.

Profecto miraculoſum eſt iſtud gummi, digerit enim, mundificat & incarnat, & id præſertim in vulneribus capitis.

Chirurgus.

Ita eſt, multi inueniūtur vulnerarij, qui hoc ſolo vtuntur, quibus ex voto omnia ſuccedūt.

Doctor.

Empla-

Emplastrum sticticum, quomodo componitur?

Chirurgus.

Componitur hoc modo *Recipe Olij Oliuarũ vncias sex, ceræ sequiunciã, quibus liquefactis, adde litargirij vncias duas, Ammoniaci, bdellij ana vnciã semis, galbani, opoponacis ana dragmas duas, aristolochiæ rotũdæ, calaminaris, mirrhæ, thuris ana dragmas duas, olei laurini tantundem, & resinæ abietis, vnciã vnam,* Coquantur ad consistenciam. Ammoniacum, dbellium, galbanum & opoponax trita per diem naturalem, prius in aceto debent macerari, & lento tandem igne liquefacta exprimi.

Doctor.

Optimè: emplastrum illud, ita me Deus amet, mirabilè est, & omnibus vulneribus, & etiam hulceribus.

Chirurgus.

Proculdubio. Vulnus autem singulis diebus bis deligandum est, hora nempe duodecima ab applicatione.

Doctor.

Quid sic?

Chirurgus.

Euanescit virtus eius, si vulneri diutius adheret.

Doctor.

Vulnus ipsum, quomodo incarnabimus?

Chirurgus.

Sola

Sola applicatione huius *Emplastri stictici*, cuius effectus mirabilis est, tam in incarnando, quàm digerendo & mundificando.

Lectio Tertia.

DE SVTVRIS LABRORVM

Doctor.

Sutura itaque in vulneribus inutilis est?

Chirurgus.

Si labra emplastris vniri possunt, inutilis est: sin minus, vtilis.

Doctor.

Cedo igitur rationem.

Chirurgus.

Oportet Chirurgũ esse imitatorem naturę, naturam autẽ nõ imitatur, dum externam superficiem acu filata consuit. Hęc enim ab interioribus auspicatur suam glutinationem: sicquę paulatim progreditur, donec ad vulneris extremitatem peruentum sit.

Doctor.

Hæc-ne medendi ratio à nostris vulnerarijs obseruatur?

Chirurgus.

Minime gentium: exteriora enim consuunt, & concauitatẽ, in qua sanguis contentus corrumpitur, relinquunt: pro vno vulnere decem infligunt, vnde si neruorum aliquis acu ledi-

leditur: Dij boni, quantus dolor, & quanta exacerbatio!

Doctor.

Non medentur igitur rectè?

Chirurgus.

Medentur rectè quidem: ſed felicius ſuccederet, ſi Emplaſtris ſticticis vterentur.

Doctor.

Cupio abs te audire, eorum in curando methodum.

Chirurgus.

Vocati ad hominem læſum, ilicò vulneris labia filo contrahunt, relicto iuferius orificio, qua excrementa purgari queant. *Oui candidum aliquam diu agitatum, leui ſtupa* excipiunt, idque ſupraponunt per diem naturalem ita relinquentes.

Doctor.

Rectè. Sanguinis profluuium enim hoc ſupprimit, dolorem ſedat, & phlegmones arcet: ſed hiſce abſolutis, res omnis caret periculo?

Chirurgus.

Nequaquam: attamen ſi citra puncturam nerui id contingit, ſi ex intempeſtiua ſuppreſſione ſanguinis, febres, deliria, aut alia id genus, ſymptomata non oriuntur, pręcipua laboris pars adempta eſt.

Doctor.

Credo equidem: Dimidium facti, qui bene cępit, habet. Quid autem poſtero die?

Chi-

Chirurgus.

Vulnus ipſum leniter pluma quadam *Gummi elemij* intincta illinũt, & *Baſilicum magiſtrale* à Vigone deſcriptum ſuperponunt.

Doctor.

Gummi elemij, Mattiolus in caluariæ fractu-ris & vulneribus præſtantiſsimum ait eſſe medicamentum, quod inſtar abietis, non ſolum glutinet, ſed & mundificet, & ſarcotita ſit.

Chirurgus.

Vnguentum quoque *Baſilicum magiſtrale* in pecia extenſum, admirandam habet virtutem digeſtiuam cum mundificatione, & doloris ſedatione, adeò vt inter cetera vnguenta palmam mereatur.

Doctor.

Itáne? da igitur nobis eius deſcriptionem?

Chirurgus.

Recipe olei Roſacei vncias tres, olei maſticis vnciam vnam, pinguedinis vituli, porcinæ, ana vncias duas, foliorũ plantaginis, periclimeni, betonicæ, pimpinellæ, piloſellæ, floris roriſmarini, ana partem vnam, omnia conquaſſentur & bulliant cum ciatho vini ad vini conſumptionem: cuius colaturæ adde maſticis, gummi elemij, reſinæ pini, ana vnciam ſemis, litargirij auri & argenti, ana vnciam vnam, minij dragmas quinque, iterum bulliant donec acquirant colorem nigrum, & addantur reſinæ abietis vnciæ duæ, ceræ albæ, quantum ſatis eſt, & fiat cerotum molle.

Do-

Doctor.

Quid verò, si inflammatio superueniat?

Chirurgus.

Quid tum postea? habent quibus eam auferant.

Doctor.

Quæ nam?

Chirurgus.

Defensiua ex *oleo rosaceo tantùm, vel oleo rosaceo cum Bolo Armeno, vel ex aceto cum aqua dupla portione.*

Lectio Quarta.

DE VVLNERIBVS CONTVSIS, & eorum curandi methodo.

Doctor.

In Vulneribus à contusione, eadémne est ratio procedendi?

Chirurgus.

Non omninò: nam ne quid sordiũ ipsis inhereat ex lapide vel ligno, prius ablui debent.

Doctor.

Quonam liquore?

Chirurgus.

Decocto *vini ex mirrha*, & tum vlterius eadem est curandi ratio cum præcedentibus. Cõiunctis labijs *oui albo* emplastrandum vulnus est

eſt: poſtero die *Gummi elemÿ* leniter inungendum eſt, & *Baſilicum magiſtrale*, deſuper ponendum, vti diximus.

Doctor.

Quid ſi contuſio ſine vulnere accidat?

Chirurgus.

Recipe *Oui candidum vehementer agitatum oleo cummirthini, eiuſdemque puluere ana vnciam vnam leui ſtupa in aceto & aqua* madefacta, manuque expreſſa hæc excipe, partique affectæ applica, & Dei gratia euaneſcet.

Doctor.

Quid ſi contuſio perſiſtat?

Chirurgus.

Idem medicamentum repete, & futurus voti compos. Ego *Cera liquefacta* tãtùm vtor, & bene ſuccedit.

Lectio Quinta.

DE VVLNERIBVS PROFVNdis à perforatione.

Doctor.

Qua methodo curantur vulnera profunda, quibus tela infixa adhuc hærent?

Chirurgus.

Tela ante omnia, ſunt extrahenda, & ſi profunditati adeſt anguſtia, vulnus dilatandũ eſt

eſt, curaque inſtituenda, vti dictum eſt, cum *Gummi elemij & baſilico magiſtrali.*

Doctor.

Quid ſi vulnus dilatari nequeat?

Chirurgus.

Tunc lauamento vtimur ex *vino, mirrha & ſale* coctis, quod ſyringa iniectum materiam purulentam expurgat: ſed membrũ pronum eſſe debet, quo facilius effluat.

Doctor.

Intelligo: ſed quomodo tela quę hamis prędita ſunt, ſine venarum & arteriarum leſione extrahas?

Chirurgus.

Extractio fit per attractionem, id competit telis tereti, & forma oblonga: vel fit per protuſionem ſiue impulſionẽ: hoc modo tela barbatula extrahuntur: nam cùm retrahi nequeant in aduerſam protrudi partẽ ea neceſſe eſt.

Doctor.

Quid ſi protrudi nequeant?

Chirurgus.

Vulnus tum ſubitò ampliari debet, quo facilius educantur: nam in talibus differre minimè tutum eſt, aut inſtrumento concauo & rotundo vtendum eſt, quod prædictas barbulas à carne prius diuiſas in ſe complecti poteſt.

Doctor.

Satis ingenioſè omnia. Sed ſi tela oſsibus inhęreant: quomodo operandum eſt?

Chirurgus.

Aperiatur locus incisione triangulari, & tripanum ita adaptetur, vt in circuitu sagittæ os ipsum profunda perforatione perforetur: facillimè enim tum vnà cum osse ea instrumentis euellentur.

Doctor.

Fateor equidem hoc verum esse, dum telum non est in aliqua corporis parte nobiliori. Sed si ratione venarum arteriarum & neruorum vulnus ampliare non licet, vel tripano vti: quid tum agendum est?

Chirurgus.

In his & similibus cum digerentibus, & relaxantibus & attrahentibus procedẽdum est: aut verbis constellatis vtendum est, quibus nullo negocio omnia telorum genera duobus digitis è vulnere eximuntur.

Doctor.

Credis?

Chirurgus.

Non crederem, nisi vidissem.

Lectio Sexta.

DE VVLNERIBVS NERVORUM, & horum facili curandi methodo.

Doctor.

Vti-

Vtinam ſic paucis expedias de punctura neruorum, *vel neruorem vulnere*, quam ſpaſmus, febres vel deliria, non ſine ægrotantis periculo comitantur.

Chirurgus.

Expediam paucis, ſi placet.

Doctor.

Placet mirum in modum.

Chirurgus.

Sanguis, poſtquam è vulnere moderatè fluxit (vt ſuprà diximus) ſiſtendus eſt: vel ſutura cum applicatione *Oui vel emplaſtri ſtiſtici*, relicto inferius orificio, qua excrementa expurgentur.

Doctor.

Verum eſt: in omnibus huc ſeſe primum offert.

Chirurgus.

Deinde in ſuperiori parte vulneris defenſiuum collocandum eſt ex *Olei roſacei, mirthini ana vncia vna, olei camomillæ vncia ſemis, boli armeni vncia vna, & cera ſufficienti.*

Doctor.

Hæc quoque ceteris vulneribus communia ſunt.

Chirurgus.

Poſtero die *Reſina abietis vel decocto gummi elemÿ* labia inungemus, *Emplaſtrum ſticticum* deſuper ponentes vel emplaſtrum à Vigone deſcriptum in capite De vulneribus neruo-

rum.

Doctor.

Optimè id digerit: dolorem ſedat, & cum attractione vulnus ipſum abſtergit.

Chirurgus.

Si in eiuſmodi vulneribus magna eſt impuritatum ebullitio cum dolore, ſectione quoque venarũ opus eſt, & doloris mitigatione.

Doctor.

Ecquid amplius agendum eſt?

Chirurgus.

Debita membri ſituatio quoque neceſſaria eſt: ſi enim in ſuperiori parte manus vel digiti leſio accidit tabula fabricanda eſt, vt membrum extenſum relinquatur. Sin in inferiori, ſemicompreſſa & modicè cõtracta ſit: ſic enim facilius nerui ſibi cohærebunt.

Doctor.

Da nobis emplaſtrum Vigonis in punctura neruorum celebre.

Chirurgus.

Recipe *olei roſarum, violarum, chamomillæ, ana vnciam vnã, ſepi vituli vncias tres, axungiæ porcinæ vnciã vnã, pinguedinis gallinæ, medullæ cruriũ vituli ana vnciam ſemis, lumbricorũ lotorum in vino vnciam vnam, butyri recentis drachmas ſex, mucilaginis altheæ libram mediam, bulliant ad conſumptionem mucilaginis lento igne, colaturæ adde litargirij auri & argenti ana drachmas decem, minij drachmas tres, cum cera ſufficienti, fiat cerotum, addendo*

in

in fine coctura resinæ abietis drachmas decem, masticis vnciam semis, & denuò bulliant vnica ebullitione.

Lectio Septima.

DE VVLNERIBVS CAPITIS, & singulari eorundem cura.

Doctor.

Nihil peculiare in capitis vulneribus obseruari debet?

Chirurgus.

Si sine lesione cranei est, planè nihil, *Oui albumine* emplastramus, & postridie labra inungimus (vti dictum est) cum applicatione emplastri *de gummi elemij*, vel de *betonica.*

Doctor.

Quid si caluaria fracta sit?

Chirurgus.

Id si fit sine solutione carnis (modò internè nulla sit osium asperitas) resoluentibus & exiccantibus vtimur, quo humiditas vel sanguis intra caluariam, & duram menynga resoluatur & exsiccetur.

Doctor.

Meritò quidem. Sanguis enim extra vasa effusus, putrescit tandem, & partes vicinas erodit: itaque de eius dissolutione sine mora

cogitandum imprimis est. Sed quibus id absoluitur?

Chirurgus.

Emplastris, quæ capiti raso applicamus, vel pulueribus, quos cum aquis appropriatis propinamus.

Doctor.

Quale autem est illud Emplastrum?

Chirurgus.

Est Emplastrum Vigonis, quod sic componitur. *Recipe furfuris exsiccati & triturati libram semis, farinæ fabarum vncias octo, rosarum, mirtillorum, ana vnciam vnam, camomillæ, meliloti, ana manipulum vnum. stecados, squinanti, ana partem vnam, coriandri, anisi, ana drachmas sex, betnoicæ periclimeni, anethi, ana manipulum semis, absinthij, manipulos duos, omnibus trituratis cum furfure & sapa sufficienti, parumq; vini odoriferi, bulliant ad spissitudinem, addendo in fine coctura olei camomillæ, anethi, rosarum, mirthini, ana vncias duas & semis, crocei drachmam vnam, ceræ albæ vncias duas, bulliant iterum vnica ebullitione, & agitentur baculo, donec tepidum fuerit: addendo calami aromatici drachmas decem.*

Doctor.

Indica puluerem qui grumos internos dissoluendi vim habet?

Chirurgus.

Recipe *rhabarbari electi, drachmas duas, mumiæ sinceræ drachmā semis, laccæ rubræ, spermatis ceti,*

ana

ana drachmam vnã, boli armeni, terræ sigillatæ ana drachmã semis, radicis hirundinariæ drachmas tres, fiat puluis subtilis & detur cum aquæ tiliæ.

Doctor.

Nónne tripano igitur aliquando vtendum est?

Chirurgus.

Vtendum quidem, sed in duobus tantùm casibus.

Doctor.

Quibus precor?

Chirurgus.

Dum sentitur punctio durę menyngis ab asperitatibus caluariæ, vel dum frustum ossis inter caluariam, & duram menynga existit: hæc enim cùm nec naturæ, nec medicamenti adminiculo corrigi possint, opus est trypanorum administratione.

Doctor.

Quando trypanandum est?

Chirurgus.

Aliquando primo die, aliquando secundo, aliquando tertio, secũdum quod symptomata grauia sunt, vel leuia.

Doctor.

Vera prędicas: sed aperta caluaria dura menynx à celi iniuria, quid damni patietur?

Chirurgus.

Vt hoc deuitetur, in loco calido vndique occluso trypanum adhibemus, & asperitates

quam poteſt fieri citiſsimè auferimus: tum infuſo *melle roſarũ calido*, bombice cauitatem implemus, & lineis filis ſuperadditis vulnus obturamus, tandemque vnctione *Gummi elemÿ, & emplaſtro de betonica* deſuper appoſita medemur.

Doctor.

Siccine curatio abſoluitur?

Chirurgus.

Indubiè, modò deligatura ſingulis diebus iteretur, & debita victus ratione ſeruata, membrum à phlegmone arceatur.

Lectio Octaua.

DE VVLNERIBVS PECTVS penetrantibus.

Doctor.

De Vulneribus Pectoris, quid cenſes?

Chirurgus.

In his ſimilis omnino medendi ratio eſt, dum ea non penetrant.

Doctor.

Non: de Penetrantibus loquor.

Chirurgus.

Hæc periculoſa ſunt: ſi tamen curationem admittunt, hac ratione hoc fiet. Vulneratus prono corpore in lecto decumbat, quo ſanguis

guis è regione pectoris ad exteriora paulatim fluat, nec cito restingendus est, modò hæmorragia non sit nimis magna.

Doctor.

Quid tandem ?

Chirurgus.

Flammula ex *Gummi elemij vel resina abietis cum modico medullæ vituli & radicis consolidæ* indenda est, eique oui candidum superponendum (vt supra diximus) vel *emplastrum stiticum* à nobis descriptum.

Doctor.

Quod si sanguis in pectore non sit bene expurgatus ?

Chirurgus.

Ad eius dissolutionem vtendum puluere nostro, quem suprà descripsimus ex *Rhabarbari drachmis duabus, mumiæ drachma semis, laccæ rubræ, spermatis ceti ana drachma vna, boli armeni, terræ sigillatæ ana drachma semis, cum aqua tiliæ*. Hoc enim in huiusmodi prerogatiuam sibi vendicat.

Doctor.

Quid autem si vulnus hisce remedijs consolidari nequeat ?

Chirurgus.

Vtemur tum decoctionibus ex *Herbis vulnerarijs*, quæ vulnera consolident.

Doctor.

Describe nobis tale decoctum, vt in re pe-

riculosa lęsis subueniamus.

Chirurgus.

Recipe. *Consolidæ maioris, & mediæ, saniculæ, betonicæ ana manipulum vnum, ophiaglossi agrimoniæ ana manipulum semis, rhabarbari vnciam semis, mumiæ sincere drachmas duas, spermatis ceti dragmam vnã, decoquatur in vino in vase duplici bene obturato, de quo bibat egrotus ciathum mane & vesperi.*

Doctor.

Rectè, præter consolidationem grumos sanguinis quoque dissoluit. Quid si tussis infestet?

Chirurgus.

Eius curam nos hic prætermittimus: Hic chirurgicas administrationes tantùm breuiter perstrinxisse satis est. Sunt sępenumero etiam alia necessaria: vt est sanguinis missio, purgatio, & alia quæ à pharmaceuticæ ipsa peti debent.

Lectio Nona.

DE VVLNERIBVS Intestinorum.

Doctor.

Iam de Intestinorũ & Ventris vulneribus.

Chirurgus.

Vul-

Vulnerum ventris citra læsionem intestinorum facilis est cura: eadem enim medendi ratio cum superioribus.

Doctor.

Vnde intestina non esse læsa cognoscis?

Chirurgus.

Quia stercus non excernitur, vel quia ea cum omento foràs minimè propendent.

Doctor.

Læsis intestinis, estné aliqua spes salutis?

Chirugus.

Si gracile intestinum læditur, vel si per partem corporis posteriorem læsio fit intestinorum, vbi neruorum non parua est copia, lethale est. Sin crassa intestina vulnerantur, quia carnea substãtia constant: de vulnerati salute bene sperandum est.

Doctor.

Vnde cognoscis gracilé ne intestinum an crassum lęsum sit?

Chirurgus.

A loco: nam gracilia intestina supra vmbilicum: crassa autem infra sita sunt.

Doctor.

Qua methodo igitur intestinorum vulnera curanda sunt?

Chirurgus.

Intestina *vino ex mirrha* primum abluta, in pristinum locum reducantur, & filo consuantur, eo consuendi genere, quo pelliones vtuntur.

tur. Omenti portio foras prolapſa, qua partẹ ventris cuti æquatur in partẹ ſana, vinculo quodam conſtringatur, & prẹciſa dimidij digiti ſpacio, à ligatura cauteriſetur candenti ferro, & intro reducatur funiculi parte exterius relicta: tandem mirach & peritoneum quoque colligantur.

Doctor.

Quomodo id fieri debet?

Chirurgus.

In prima punctione mirach cum peritoneo acu perforetur, ab altera parte mirach tãtum. In tertio puncto mirach quoque tantum acu tangatur: in quarto mirach & peritoneum: in quinto mirach & peritoneum: in ſexto mirach tantùm, idque alternatim fieri debet, nunc per vtrumque, nunc per alterum.

Doctor.

Itáne: Quid poſtea?

Chirurgus.

Oui candidum citra tentæ alicuius inſertionem applicandum eſt, funiculus enim prominens, eius vice fungitur.

Doctor.

Quid poſtridie agendum?

Chirurgus.

Reſina abietis, vel gummi elemij inungendum eſt, cum applicatione *vnguẽti baſilici magiſtralis, & interdum dococtione vulneraria.*

Lectio Decima.

DE HERBIS VVLNERARIIS & mòdo extrahendi Olea ex ijſdem Herbis.

Doctor.

Quæ ſunt herbæ, vnde potiones Vulnerariæ hodie componuntur?

Chirurgus.

Pyrola, ſanicula, ophioglosſum, conſolida maior, media, minor, regalis, ſaracenica, limonium, mumia, ſperma cæti, vinca peruinca, ſerpentina, centaurea, hypericon, betonica, ariſtolochia, perſicaria, balſamina, herba carpentarij, flos S. Iacobi, millefolium, perfoliata, prunella, numularia, ſaluia.

Doctor.

Da nobis ex his aliquam compoſitionem.

Chirurgus.

Recipe *pyrolæ manipulos duos, ciclaminis ſaniculæ ana manipulum vnum, alchimillæ mapripulum ſemis, coquantur in vino renenſi ſecundum artem,* de cuius colatura bibat leſus manè & veſperi.

Doctor.

Dum vtimur hiſce decoctionibus, vulneri nihil ſuperligandum eſt?

Chirurgus.

Maximè: *herbæ elixæ exprimuntur, & cum pauxillo ſalis vulneri applicantur.*

Doctor.

Sunt ne aliæ potiones aliter compositæ ?

Chirurgus.

Sunt quamplurimæ: ex hiſce enim ſimplici bus, quiſque pro ſuo arbitrio ſibi decoctionem cominiſci poteſt, quas cum magno ſucceſſu vſurpare poterit.

Doctor.


Omnia tam breuiter & dilucidè explicas, vt nihil ſuprà : ſed ſunt alij, qui loco harum decoctionum ex ſimplicibus dictis olea extrahunt. Dic obſecro, quo id fiat modo ?

Chirurgus.

Varij variè operantur: at ego, hic quod factu facile eſt, tibi breuiter explicabo. Qui ex floribus olea extrahunt, illi primum flores in vento exſiccãt. Poſtquam verò exſiccati ſunt, in ſingulas libras olei oliuarũ manipulos quinque florum imponunt: hęc commixta, in cucurbita bene occluſa, vti hic vides, per duos dies naturales in balneo Neptuni ab ijs digerũtur, lento igne, nempe in primo gradu. Poſt hos dies è vaſe eximunt, & colant, & ſi penitus colari nequeunt, torculari exprimunt, quemadmodum fieri ſolet, dum ex amigdalis oleum exprimimus.

Balneum

Balneum Neptuni.



Doctor.

Hac prima maceratione florum in balneo, oleum perfectum erit, an sæpius hęc maceratio iterari debet?

Chirurgus.

Iterari debet, ſed cum alijs floribus exſiccatis in vento: hi enim denuò in oleo colato & expreſſo macerari debent, duorum dierum ſpacio, & poni, vt anteà in balneo Neptuni non vltra primum gradum caliditatis, & dein de exprimi & colari.

Doctor.

Sufficit itaque hæc ſecunda infuſio florum?

Chirurgus.

Non ſufficit: tertiò repeti debet eadem prorſus qua diximus ratione. Sed poſt ſecundum diem, oleum quod exprimitur, in cucur-

bita vitrea reponi debet, bene obturata, & in balneo Neptuni magis calido, vbi tantiſper permanere debet, donec fæces ab oleo ſeparentur, & oleum clarum appareat.

Doctor.

Ita me Neptunus tuus amet, omnia methodo quadam facillima indicas. Quod ſi Paracelſus idem præſtitiſſet, næ quàm plurimi forent, qui relictis corporibus craſsis, pharmaca ſua ex oleis & ſpiritibus corporum componerent.

Chirurgus.

Vera narras: ſed nondum perfectum eſt oleum cuius meminimus, niſi & operatio alia accedat.

Doctor.

Qualis amabo?

Chirurgus.

Ab oleo iſto à fæcibus ſuis depurgato, phlegma, id eſt, aquoſa humiditas ſeparari debet. Id quod quoque ope Neptuni fieri debet. Quod vbi ſeparatum eſt, in vitro reſeruari debet, & in loco frigido.

Doctor.

Hem, quid ais, in loco frigido? potius in Sole collocandum foret, cuius calor vitalis eſſe dicitur.

Chirurgus.

Apagè: nullatenus id hic fieri debet, rancorem enim oleum acquireret, & ſi in loco frigi
do

do ponitur, maximè fragrans erit, & odorem floris in eo macerati ſpirabit.

Doctor.

Ex herbis ergo ſimiliter olea componuntur?

Chirurgus.

Planè: niſi quod hæ primo omnium contundi debeant, & in partes minutas conſcindi, & proinde qui præcedentia intelligit, facilè ex herbis & radicibus olea extrahet.

Doctor.

Optimè: nihil reſtat, niſi vt Chirurgi ita ſua olea conficiant, vt vulneratis ſubueniant. Ita enim nomen ſibi comparabunt, & hanc artem cum honore exercebunt.

Lectio Vndecima.

DE MODO COMPONENDI Spiritum Terebinthinæ.

Doctor.

Quid cenſes de ſpiritu Terebinthinæ? Eſt ne maioris facultatis oleis prædictarum herbarum?

Chirugus.

Certè, miraculoſæ eſt facultatis, adeò vt ſiquis verum ſpiritum haberet, illi non eſſet difficile omne genus vulnera breuiſsimo

tempore curare.

Doctor.

Putas igitur raro eius verum oleũ reperiri?

Chirurgus.

Quamplurimi venditant se habere, sed neminé hactenus repperi, cuius oleum à Vulcano non erat corruptum.

Doctor.

Sunt tamen Alchymistæ, qui nihil nisi oleum somniant.

Chirurgus.

Vereor ne oleum & operam perdant. Vulcanus namque illorum fornace vtitur nimis calido, potius ferro emoliendo, quam huiusmodi operibus naturalibus accommodo.

Doctor.

Sed dic rogo, quomodo tu ex terebinthina oleum distillas, quod contra vulnera antidotum est præstantissimum? cupio enim audire, si eorum quæ didicisti adhuc recordaris.

Chirurgus.

Dicam equidem, & id lubentissimé. Qui ex terebinthina oleum distillant, in primis misceant sex libras terebinthinæ tribus pocuis aquæ in vase æneo, aut cucurbita ænea alembico adunco, vt in hac figura videre licet.

Cucurbita adunco roſtro.



Et ante diſtillationem iuncturas luto ſapientiæ illinunt ad expirationem prohibendam Quo facto, igne lento diſtillant, & ilico ſpiritus vnà cum aqua guttatim ex alembico in phialam ſuppoſitam defluit. Poſtquam autem ope Vulcani nihil amplius diſtillari vidẽt, cucurbitam aperiunt, & terebinthinam infrigidari permittunt.

Doctor.

Quid tum poſtea?

Chirurgus.

Poſtquam terebinthina infrigidata eſt, eam è cucurbita eximũt, & idem denuò repetunt cum ſex libris terebinthinæ & tribus poculis aquæ, & diſtillant, vt prius, idque toties, donec quantum ſpirituum copiam optarunt, habuerint.

Doctor.

Spiritus aquę mixti, quid conferunt, aut quem vſum habent?

Chirurgus.

Nullum, & proinde ab aqua ſeparari debent, vt quis eorũ robur naturale cognoſcat.

Doctor.

Quanta ſpirituum copia ex ſenis libris terebinthinæ, & tribus poculis aquę in diſtillatione prouenit?

Chirurgus.

Libra vna cum triente paulò plus aut minus, pro eo atque terebinthina pura eſt vel impura.

Doctor.

Ad vuguem omnia tenes, nec quicquam te latet: pergamus itaque ad compoſitionem olei Terebinthinæ.

Lectio Duodecima.

DE MODO DISTILLANDI Oleum Terebinthinæ.

Do-

Doctor.

Agesis: quo pacto oleum Terebinthinæ conficitur?

Chirurgus.

Terebinthinę huius, vnde ſpiritus ſeparatĩ ſunt, capimus octenas aut nouenas libras, & in vaſe iam dicto, dum calore Vulcani liqueſcit, continuò ſpatula agitamus, quouſque aqua omnis euaporata ſit, nec amplius aſcendat.

Doctor.

Nulla ne ſunt ſigna, quibus Terebinthinã ſatis bullijſſe ante diſtillationẽ cognoſcimus?

Chirurgus.

Sunt profectò. Dum inter ebulliẽdum non amplius crepitare auditur, ſignum eſt certiſſimum, aquam omnem conſumptam eſſe.

Doctor.

Quid deinde agendum eſt?

Chirurgus.

Illicò alembicum imponendum eſt, & iuncturæ bene lutandæ luto ſapientiæ.

Doctor.

Vnde componitur illud lutum ſapientiæ?

Chirurgus.

Variæ ſunt compoſitiones pro varijs operationibus, ſed hic ſufficit ſumere argillam cum farina & albuminibus ouorum.

Doctor.

Poſtquàm iuncturę tali luto, vt dicunt, ſapien-

pientię oblitę ſunt: quomodo eſt vlterius progrediendum?

Chirurgus.

Inprimis Vulcanum redigo ad primũ gradum caliditatis, vehementior enim operationibus noſtris aduerſatur.

Doctor.

Vulcano ita tuæ intentioni adaptato, pergis diſtillare ſine vlla cunctatione?

Chirurgus.

Certè, & intra ſeſquihoram diſtillatio abſoluta erit. Nihilominus ne te tempus aliquando fallat, eouſque operãdum eſt, donec id quod diſtillat viridè apparebit. Hoc enim ſignum eſt perfectę operationis, & nihil olei amplius corpori Terebinthinæ ineſſe.

Doctor.

Bene omnia: faxit Vulcanus veſter, vt inde multum vtilitatis ad Reipublicę commoditatem tibi compares, & oleum tuum tãtæ ſit energię in ſanãdis vulneribus, vt eo ſolo qualiacunque ſunt, curare poſsis.

Practica Corn. Schylandri Albissensis de Hulceribus.

Pars II.

Lectio prima.

DE HVMORIBVS ET QVAlitatibus, vnde Hulcera natiuitatem suam habent.

Doctor.

Dic age. Quid est Hulcus?

Chirurgus.

Hulcus est solutio continui, purulenta & saniosa: in est enim hulceri tenuis materia, sanies dicta & crassa, quæ sordes aut pus dicitur.

Doctor.

Quę autem est huius mali origo?

Chirurgus.

Minera impuritatum quæ sua salsedine, acrimonia, dulcedine, acerbitate cutem corrodit, per quã tanquã emunctorium expellitur.

Doctor.

Non igitur à sanguine, cholera, melancholia, vel phlegmate?

Chirurgus.

Sic est: hęc enim partes sunt corporis, à natura fabricatæ, quæ nullius mali auctores sunt: sed tantùm quod bonum & perfectum est, appetunt.

Doctor.

Benè quidem dicis partes esse: sed harum partium caliditates & frigiditates vlcerum causæ sunt.

Chirurgus.

Minimè verò: hæ qualitates effectus tantùm sunt impuritatum. Non enim, quia cholera calida est, membra erodit, alioquin id semper efficeret, cùm numquam nõ sit calida: sed quia acredine impuritas pollet, quæ membris caliditatem non naturalem imprimit.

Doctor.

Quid igitur est, quod agit?

Chirurgus.

Salsum, amarum, acerbum, dulce. Hæc sunt quæ aliquam vim habent (vt ait Hippocrates) quæ dum exaltantur in homine effectus præter naturam producunt. Caliditates, frigiditates, siccitates & humiditates, nullius sunt energiæ.

Doctor.

Quid audio? Hactenus tamen creditum est vlcera ab humorum vel elementorum intemperie prouenire?

Chirurgus.

Fateor equidem hoc communiter dici: sed hæc intemperies magnã cladem Philosophię intulit, multorumq́ue oculos fascinauit, qui nucleum se deprehendisse rati, cortices & siliquas obtinuerunt.

Doctor.

Non

Non ſunt itaque quatuor humores in homine?

Chirurgus.

Sunt profectò, & quidem multò plures.

Doctor.

Quot ergo?

Chirurgus.

Quod ſunt colorum genera, eſt humor albus, fuſcus, flauus, niger, ruber, viridis, cæruleus, purpureus &c.

Doctor.

Videris ridere quadruplicem humorum differentiam.

Chirurgus.

Quid ni rideam?

Doctor.

Quidni rideas? temerarium eſt contra Philoſophorum decreta quicquam ſentire.

Chirurgus.

Nequaquam: amicus mihi Plato, amicus Ariſtoteles, ſed magis amica Veritas.

Doctor.

Errarunt itaque philoſophi in quaternario elementorum numero, eorumque miſtione?

Chirurgus.

Planè.

Doctor.

Qui ſic?

Chirurgus.

Repugnat ſcripturæ S. quæ vera eſt philoſophia:

phia:

phia: formauit Deus (inquit Moyses) hominem ex limo terræ, id est, ex aqua & terra simul mistis.

Doctor.

Accidit itaque id sine aëris, vel ignis admistione?

Chirurgus.

Quis dubitat? aër Aristotelicus nusquam reperitur, & ignis accidens est, & non substantia.

Doctor.

Hui, quid narras?

Chirurgus.

Intellectu facile est: si quis carbonem ignitum, quẽ ignem appellamus à non ignito accidentaliter tantùm differre sciat, quemadmodum ferrum candens à non candenti. Corpora quoque tantùm in aquam & terram resoluuntur: vapor enim & exhalatio in distillatione ascendunt, & terra crassa in fundo cucurbite permanet.

Doctor.

Verè quidem: sed Philosophorum ea est considerare. Chirurgo satis est, nouisse choleram, phlegma, sanguinem & melancholiam, cum suis qualitatibus calefacientibus & infrigidantibus.

Chirurgus.

Non est: vt hulceris naturam, quis benè perspectam habeat, quia homo tantùm ex aqua

qua & terra componitur, ijſque ſolis nutritur terrarum & aquarum differentias cognoſcere oportet: ſecundum horum enim diuerſitatem, diuerſa hulcera in homine oriuntur.

Doctor.

Explica nobis hulcerum natiuitates, nam quomodo id fiat, non intelligo.

Chirurgus.

Veſcimur pane, herbis & carnibus: bibimus aquam, cereuiſiam & vinum: certum eſt in hiſce impuritates aqueas, vel terreſtres latere, quæ ob diſsimulitudinem naturæ in corpus noſtrum mutari nequeunt: dum igitur beneficio naturę purum ab impuro ſeparari nequit, fit mutua vtriuſque commixtio. Malua vrticis & arſenicum violis miſcetur, quæ temperata ex mutua admixtione ferociā ſuam tantiſper remittunt, donec ſeparata fuerint.

Doctor.

Quid?

Chirurgus.

Hæc impuritas terreſtris, vel aquea ab admixtione puritatis libera exaltatur, & ratione ſalſedinis, acrimoniæ, dulcedinis, vel acerbitatis, carnem & cutem corrodit, producítque caliditates, humiditates, & alia ſymptomata.

Doctor.

Optimè: ſed ſi ex aqua & terra generātur, quomodo tam multiplex eſt hulcerum differentia?

rentia ?

Chirurgus.

Quia eſt multiplex terrarum, & aquarum differentia, alia eſt aqua & terra vrticæ, alia arſenici, piperis alia, & ita de reliquis: quorum aliqua ſalſa corroſiua, alia acria pungentia, &c.

Doctor.

Eſt igitur aqua cum terra genus?

Chirurgus.

Sanè, & nihil verius, quamuis repugnet comuni Philoſophorum opinioni.

Doctor.

Paradoxa narras à nemine, quod ſciam, deſcipta.

Chirurgus.

Paradoxa eſſe fateor: ſed talia, quæ à nemine non approbari debent: quemadmodum in vino dulci tartarus latet in forma reſoluta, qui temporis diuturnitate coagulatur, & lateribus vaſis adhęret. Ita in homine impuritates reperiuntur, quę digeſtis temporibus coagulatæ, hulcera naturæ ſuæ legitima in carnę producunt.

Doctor.

Bella ſimilitudo.

Lectio Secunda.

DE

DE METHODO SERVANDA in Hulceribus.

Doctor.

Ad methodum in Hulceribus seruandam iam accingamur.

Chirurgus.

Hic quemadmodum in vulneribus cũ digerentibus & mundificantibus procedimus.

Doctor.

Qualis est ergo hæc methodus?

Chirurgus.

Omissa purgatione, & debita victus ratione, quæ ex pharmaceutice & dieticæ peti debent, primò materiam digeremus, donec pus album equale appareat: deinde materiam satis concoctam abstergemus, non neglectis interim exsiccantibus, quæ humiditatem in vlcere exsiccent. Hisce absolutis natura ipsamet carnem procreabit, & vlcera ad consolidationem perducet, modò à Chirurgo legittimè à cęli iniuria custodiantur, hoc est emplastris vinciantur, quę eam præseruent.

Doctor.

Benè dicis: Chirurgus enim est custos naturæ, sed oblato hulcere, continuò materiam digeremus?

Chirurgus.

Sanè dum simplex est, hoc est, dum nullus adest dolor, vel phlegmon vel tumor vel apostema

ſtema vel calloſitas vel hæmorragia, vel oſsis corruptio: alioquin dum compoſitum exiſtit accidentia dicta, primum ſunt auferenda, tum demum, qua diximus methodo, vlterius progredi licet.

Doctor.

Qua ratione hęc tolluntur?

Chirurgus.

Dolor anodynis, phlegmon vnguento roſaceo, vel ſimili. Calloſitas, & oſsis corruptio cauterijs ſecundum Vigonem. Hemorragia, croco martis. Tumor vnguēto Agrippę cum oleo Tartari. De Apoſtemate infra dicemus.

Doctor.

In quotuplici differentia Hulcera reperiuntur?

Chirurgus.

In multiplici: tot enim ſunt hulcera, quot ſunt impuritatum diſcrimina: impuritates, aut habent actionem & proprietatem arſenici, & hulcera fiunt peſtifera cum maximis ardoribus: aut habent proprietatem aluminis, & fiunt corroſiua: aut habēt proprietatem vrticę, & fiunt mordicantia & acria: aut habent proprietatem papaueris & mandragoræ, aut aliorum vegetabilium & mineralium, & fiunt Hulcera, quæ pro impuritatum diuerſitate, diuerſas ſibi ſortiuntur nomenclaturas.

Doctor.

Longè ſanè probabiliora dicis, quàm qui chole-

cholerę aut melancholię, aut phlegmati, hęc omnia ſcribunt, quique malunt ab externis ſignaturis, hoc eſt à coloribus hęc nomina mutuare, quàm ab internis proprietatibus.

Lectio Tertia.

DE REMEDIIS, QVIBVS IN Hulceribus curandis vtimur.

Doctor.

Hactenus methodum generalem: iam quibus remedijs Vlcera curentur, explica.

Chirurgus.

Communiter à digeſtione *vnguento ægyptiaco* vtimur, quod in omni vlcere ſordido, putrido, virulento, cauernoſo plurimùm valere experientia didicimus, *deſuper vnguento de minio, vel baſiliconis, vel de lithargirio faſcientes.*

Doctor.

Nónne præſtaret vti *præcipitato* tantopere à Vigone decantato?

Chirurgus.

Maximè quoque probo vſum huius pulueris bene præparati, mundificat enim vlcerationem, ſine dolore malignitatem corrigit, ſubtilem materiam ingroſſat, & ad bonam digeſtionem perducit.

Doctor.

Da nobis descriptionem *vnguenti ægyptiaci?*

Chirurgus.

Recipe *aquæ plantaginis, vini granatorum, mellis licij ana vncias duas, floris æris, aluminis rochæ ana drachmas decem,* omnia simul bulliant ad consistentiam.

Doctor.

Cedo: quomodo in hulceribus cauernosis, huiusmodi pulueres vel vnguenta ad intima penetrant?

Chirurgus.

Si cum *lixiuio barbitonsoris, & melle rosaceo* mista, syringa inijciantur, vt docet Vigo.

Doctor.

Ecquid post mundificationem?

Chirurgus.

Vtimur eo, quod recipit *aquarum hordei libram vnam, mellis rosarum vncias tres, sarcocollæ drachmas duas, mirrhæ, thuris drachmam vnam, vini odoriferi vncias sex* hęc ad tertias decoquunt, ad loci confortationem & incarnationem.

Doctor.

Ad carnem superfluam, quid remedij?

Chirurgus.

Puluerem aluminis vsti, huic inspergunt, additis filis, quibus emplastra superponunt.

Doctor.

Curantur igitur hisce remedijs omnia hulcera?

Chirurgus.

Non:

Non: sunt quædam inueterata, quæ Chyronia vel Telephya nuncupātur: sunt & alia difficilis consolidationis, Mercurij naturam referentia, quæ alijs remedijs curari debent.

Doctor.

Quibus precor?

Chirurgus.

Oleo Mercurij, vel oleo Antimonij, vel oleo Sulphuris.

Doctor.

Huiusmodi remedia alchymistis relinquamus: dic quæ à nobis citra difficultatem præparari possunt?

Chirurgus.

Lubentissimè: & si vno contentus non es, dabo tibi plura. *Recipe Serpentariæ vtriusque ana manipulos duos, aristolochiæ acutæ, consolidæ ponticæ ana libram semis*, contundantur, & cum *terebinthina libra* vna & semis *& olei* ouorum, vncijs *quatuor*, fiat vnguentum.

Hoc vnguento omnis cutanea affectio curatur, etiam Phagadena ipsa.

Aliud.

Recipe *Succi Chelidoniæ libram vnam, aloe hæpaticæ vncias duas, mumiæ vnciam vnam, viridis æris drachmam vnam, aluminis vsti vncias duas, terantur subtilissimè quæ terenda sunt, & cum succo digerantur in calore per dies octo, post vlcera pannis in eo madefactis ligentur.*

Aliud.

Recipe *viridis æris vnciam ſemis, aluminis vſti vncias duas, henrici rubei vt vocant, drachmas ſex, terebinthinæ diſtillatæ, libram vnam, miſce.*

Aliud.

Recipe *argenti viui mortificati vnciam ſemis, ceruſæ vncias duas, euphorbij drach. duas, ſaxiphragiæ, litargirij, ſandolorum ana drach. vnam, axungiæ porci quantum ſatis eſt.*

Aliud.

Recipe *Salis armoniaci vncias tres, ſalis communis vnciam ſemis, bulliant in aqua, poſt adde gummi atramentarij, vncias tres, & liqueſcant ſimul & in duritiem excoquantur. Huius portiuncula in aqua diſſoluatur, qua hulcus abluatur.*

Doctor.

Sunt hæc remedia in Hulceribus præſtantiſſima?

Chirurgus.

Haudquaquã: præſtantiora habentur, quæ non temerè omnibus diuulganda ſunt: nam potionibus poſſunt curari omne genus hulcera.

Doctor.

Mirabilis artifex es, vt diteſcas ſcio, alijs tua ſecreta communicare non vis.

Chirurgus.

Rectè diuinaſti.

Doctor.

Ad cicatricem autem producendam, quid?

Chirurgus.

Abluc-

Ablue primum *stillaticia plantaginis, rosarum, allumine rochæ, cum pauxillo mellis rosacei, deinde vtere medicamento quod componitur ex minij vncia vna, olei resarum, mirthini ana vncia vna & semis*, Sic Vigo.

Lectio Quarta.

DE METHODO CVRANDI Fistulas.

Doctor.

Superest, vt nunc de Fistulis agamus.

Chirurgus.

Ita est: fistula enim, quia hulcus cauernosum est, callositate obductum, stricti orificij, & profunditatis amplæ, exercitatū requirit, & non solùm medicum rationalem.

Doctor.

Habes ne aliquam contra Fistulas experientiam?

Chirurgus.

Habeo equidem, & satis magnam.

Doctor.

Doce porrò, quibus hoc malum remedijs auferatur?

Chirurgus.

Quæ ad Chirurgiam spectant, docebo: sed hoc velim tibi primò persuadeas, quę à Vigo-

ne traduntur, non vſque adeó ad Chirurgos medicos ſpectare: nam ſine incißionibus negocium hoc abſolui poteſt.

Doctor.

Quibus itaque remedijs vtẽdũ arbitraris?

Chirurgus.

Decoctionibus, & debita victus ratione, quæ cauſſam, vnde fiſtulæ oriuntur, auferant: nam hiſce ſolis multos rectè curatos eſſe vidi.

Doctor.

Nullúmne Emplaſtrum applicari debet?

Chirurgus.

Sic, vnguentum *de tutia* in pelle, vel lino extenſum, quod ſepè in die quoque abſtergẽdum eſt.

Doctor.

Qualis decoctio, & qualis dieta eſſe debet, quà ægrotus vtitur?

Chirurgus.

Non eſt huius loci ea referre: hæc enim & ſimilia ab alijs partibus medicinæ nẽpe pharmaceuticæ & dieticæ peti debent.

Doctor.

Antiquum obtines: celas ea, quę logici me dici ignorant: ſed poteſt ne fiſtula topico remedio curari?

Chirurgus.

Poteſt, vt quidem dicunt, ſed eius experientiam non habeo.

Doctor.

Quale

Quale eſt illud?

Chirurgus.

Recipe *olei Martis*, *olei vitrioli* ana drachmam vnam, *olei Mercurij*, ſcrupulum vnum & ſemis, miſce, his plumaceoli infundantur, & poſt infuſionem exſiccati, fiſtulæ imponãtur, calloſitatem enim ſtatim auferent.

Doctor.

Nõ quæro huiuſmodi chymica, quę nõ niſi maximis ſumptibꝰ haberi queũt: cedo aliud?

Chirurgus.

Recipe *olei laterini vncias tres, olei terebinthinæ libram ſemis*, *olei gariophilorum vnciam vnam & ſemis, thuris, maſticis, mirrhæ ana vnciam ſemis, mumiæ vncias tres*, diſtillētur, & oleum inde diſtillatum per ſyringam quotidiè bis inijciatur, & cauitas vino vel aqua ſalis ſubinde eluatur.

Doctor.

Remedia tua paratu difficilia ſunt.

Chirurgus.

Itaque huiuſmodi remedijs pręſtat vti, quę in hoc malo infallibilia ſunt.

Lectio Quinta.

DE SCABIE.

Doctor.

Age iam ad Scabiem veniamus. Quod genus

nus medelæ aduersus hanc reperitur?

Chirurgus.

Recipe *Succi chelidoniæ, fumi terræ, borraginis, scabiosæ, lapacij acuti ana vncias tres cum fæce aceti & axungia veteri* misceātur, quibus pars affecta illinatur.

Doctor.

Hóccine remedio omnis scabies curatur?

Chirurgus.

Curatur quidem: nisi à morbo gallico proueniat, hæc enim scabies tam leui medicamē-to minimè cedit.

Doctor.

Quid tibi videtur de vnguentis contra scabiem, à Vigone in Antidotario descriptis?

Chirurgus.

Quia ex argento viuo componũtur à pra-ctico reijcienda sunt, citra noxam enim aliquá corpori huiusmodi non applicantur.

Doctor.

Nunquid aliud vnguentum tibi cognitum est, quod ex succis, qui tempore brumali non reperiuntur, non componitur?

Chirurgus.

Cognitum est.

Doctor.

Describe hoc nobis, si placet.

Chirurgus.

Recipe *Butyri recentis vnciam vnam, axungiæ vnciam semis, litargirij, cerusæ ana dachmā*

vnam

vnam, zinziberis drachmam vnam & ſemis, ſulphu-ris drachmam ſemis, hellebori nigri pulueriſati drachmas tres, aceti vnciam vnam & ſemis, miſce-antur & coquuantur.

Lectio Sexta.

DE ADVSTIONE.

Doctor.

Aduſtio à ligno, lacte, aleo vel butyro, quo modo curatur ?

Chirurgus.

Recipe *butyri recentis liquefacti calidi quantū ſufficit, aqua infundatur & agitetur*, donec niuis inſtar albeſcat, & tandem aqua abijciatur, & ſeruetur ad vſum in forma vnguenti. Hoc lini mento ſepiùs partem affectam per vngues, & ſtudebis eam ſemper ex butyro pinguem ſer-uare, nec ante caloris extinctionem exſiccari permittes.

Doctor.

Aliúdne habes huic comparandum ?

Chirurgus.

Habeo : *cortices tiliæ interiores in aqua fon-tana macerentur & fiat vnguētum*, hoc continuò parti aduſtæ applicetur. Si autem ex aduſtio-ne pars exulcerata fuerit, procedatur, vt de Vlceribus dictum eſt.

Doctor.

Facilis ſanè hæc tua methodus eſt.

Lectio Septima.

DE PRÆPARATIONE OLEI Guaiaci, id est Ligni Sancti.

Doctor.

Accingamur quæso ad oleum Ligni sancti, quod in hulceribus admirabilem, vt dicitur, facultatem habet.

Chirurgus.

Perplacet. Id enim sine nephando scelere omitti non potest, quod maximam vtilitatem habere in Republica cognoscimus.

Doctor.

Censésne itaque huius oleum præstantissimum esse ad hulcera antidotum?

Chirurgus.

Nulli dubium hoc esse debet, & potissimũ ad ea quæ à morbo Hispanico, vel si mauis, Gallico, originem suam habent.

Doctor.

Putaram hactenus ea sine argento viuo curari non posse, quod ingenita sibi proprietate in tali morbo alexicacon omnes esse dicunt.

Chirurgus.

Id minimè verum est: efficacius enim & minori cum noxa oleum Ligni sancti auxiliatur, modò id bene à Chymico præparetur, & naturalis calor in igneum ab igne Vulcani im mode-

moderato non transmutetur.

Doctor.

Requiruntur itaque certi gradus ignis in distillationibus vltra quod citraque progredi non licet?

Chirurgus.

Sane: alioquin enim in his natura eius quod distillatur corrumperetur. Nam vt non omnia in ijsdem gradibus calida sunt, vel sicca, frigida vel humida, ita & diuersi gradus Vulcani in distillationibus obseruandi sunt, pro eo atque natura herbæ & diuersitas operationis postulat.

Doctor.

Vellem equidem abs te huiusmodi audire: nam talia videntur esse mihi, vt nullus eorum ignarus esse debeat.

Chirurgus.

Vera narras: sed istæc tractatio ingens sibi volumen postularet, si pro dignitate, eam traderemus. Hic nobis sufficit demonstrasse, in quo gradu vulcanus poni debet, dum ex Ligno sancto vel Guaiaco oleum extrahere volumus.

Doctor.

Optimè: qui enim particulatim aliquid explicat, faciliùs intelligitur à lectore, quam qui generatim idipsum efficit, præsertim in tanta distillationum & graduum varietate. Age dum igitur, quomodo conficitur oleum ligni

huius, quod præ ſua quam habet efficatia, verè ſanctum dicitur?

Chirurgus.

Certè vt hoc bene fiat, retorta opus eſt ampla & magna vndique bene lutata luto, vt dicitur ſapientiæ. Lignum Guaiacum tornatili inſtrumẽto minutim in particulas tenues conſcindi debet. Vas quoque aqua frigida plenum, per quod fiſtula ænea & concaua tranſmittatur, neceſſarium eſt.

Doctor.

Hæc factu facilia ſunt. Quomodo igitur vlterius operandum eſt?

Chirurgus.

Retortam hanc Guaiaco particulatim conciſo implemus ad collum ferè.

Doctor.

Et hoc facilè.

Chirurgus.

Impletam, & eo quo diximus luto obductam, in furno ſequenti collocamus, ita vt collum retortæ ad tres palmos foris emineat, & orificium fiſtulæ per aquam traductæ ingrediatur.

Doctor.

Vtinam tam facili methodo ipſe Paracelſus ſua declaraſſet, plures inuenirentur Paracelſiſtæ quam Galeniſtæ. Sed quid poſteà?

Chirurgus.

Orificia ambo & colli retortæ, & fiſtulæ luto


to vndique latitudine vnius pollicis ſunt obli nenda, ne quid inter diſtillãdum expiret. Spiritus enim quia à corpore ſuo terreſtri liberantur, facillimè auolant: vaſa itaque & omnes rimulæ bene luto ſapientiæ muniri debent.

Doctor.

Nihil, vt mihi videre videor, hæc habent difficultatis.

Chirurgus.

Bene quidem: hæc difficultatem non habent, ſed in operatione difficultas non deerit.



Quo

Quo itaque praxim hanc auſpicemur: in primis talem furnum, vti hic vides, tibi confice, cum vaſe aqua frigida repleto.

Doctor.

Recte omnia: ſed id quod in furni ſummitate video, habet formam teſticuli.

Chirurgus.

Non inficior: ſed & teſticulis ſua vis ineſt. Proinde poſtquàm omnia eo quo diximus modo ſunt abſoluta, primo omnium lento igne operatio auſpicāda eſt, ne vas illud teſticuli formam referens, rumpatur.

Doctor.

Lento igitur igne abſoluetur negocium?

Chirurgus.

Minime gentium: ſed paulatim augendus eſt donec oleum & aquam è phiſtula in phialam ſtillare videris.

Doctor.

Quamdiu ſtillabit oleum?

Chirurgus.

Id neſcio: ſed id ſcito, dum nihil amplius exſtillat, ab opere ceſſandum eſſe. Signum enim eſt corpori ligni Guaiaci nihil amplius ineſſe humiditatis & ſpirituum.

Doctor.

Oleum itaque Guaiaci tum diſtillatū erit?

Chirurgus.

Erit quidem, ſed alijs adhuc præparationibus indiget.

Do-

Doctor.

Quibus obſecro?

Chirurgus.

In primis id quod in phiala reperitur eſt aqua & oleum, & proinde hæc ſeparari debẽt.

Doctor.

Quomodo ſeparantur?

Chirurgus.

Quia oleum fundum petit, & inſtar picis craſſum eſt, aquam leniter & paulatim effundendo paratur.

Doctor.

Aqua hæc, eſt ne alicuius facultatis?

Chirurgus.

Maximè: ſed eam hic omittimus, nihilque præter oleum ipſum habere volumus.

Doctor.

Quid porrò agendum eſt cum iſto oleo iam ab aqua ſeparato?

Chirurgus.

Oleum hoc in alia cucurbita poni debet, eique aquæ aliquantulum adfundendum eſt.

Doctor.


Quale alembicum huic ſuperponi debet, roſtratum de quo diximus, an aliud?

Chirurgus.

Non quoduis huic operationi eſt conueniens. Idcirco alembicum conuenientiſsimũ eſt quod vapor appellatur, quod ſuperiori ſua parte aquã frigidã in ſe continet, *vt hic vides.*

Vapor.

Vapor.



Doctor.

Quare hoc?

Chirurgus.

Quia iſtac refrigeratione alembici vel roſtri oleum reprimitur, & in cucurbitam decidit, vnde poſtea non eleuatur.

Doctor.

Quouſque diſtillabis?

Chirurgus.

Donec aliquid in phialam ſuppoſitam ſtillare videris.

Doctor.

Quid tum deinceps agendum eſt?

Chirurgus.

Id quod in phiala eſt, tibi reſeruabis ſi voles

les, nam oleum in fundo curcubitæ iacet.

Doctor.

Quomodo oleum hoc è cucurbita eximitur?

Chirugus.

Postquam vas refrigeratum est, aperiri debet, & aqua, quę in vase reperitur, modesta quadam effusione ab oleo separari, ne quid olei quoque effluat.

Doctor.

Id oleum in fundo cucurbitę ab aqua separatum iam perfectum erit, nec vt perficiatur vlteriori pręparatione egebit?

Chirurgus.

Nec hoc quidem adhuc perfectionem suã habet, alia insuper metamorphosi opus est, vt spe non frustremur.

Doctor.

Bone Vulcane, quę autem hęc est metamorphosis?

Chirurgus.

Oleum hoc quod dicimus ab aqua separatum in cucurbitam vitream collocandũ est.

Doctor.

Tertio igitur distillãdum est? timeo ne distillatio toties iterata naturam olei corrũpat.

Chirurgus.

Quid corrumpat? quin vereare potiùs, ne columbę apertis fenestris auolent.

Doctor.

Quomo-

Quomodo igitur? diſtillandum eſt in inſtrumento æneo, cui vapor ſuperlutatus eſt?

Chirurgus.

Alio inſtrumento opus eſt, vt dixi, nam hæc materia oleacea in cucurbitam vitream mitti debet.

Doctor.

Quid deinde?

Chirurgus.

Alembicum quoque vitreum ſuperlutandum eſt.

Doctor.

Bene, vitrea vitreis bene quadrant.

Chirurgus.

Atque cucurbita hæc, alembico ſuo bene adaptata in arena poni debet in primo gradu caliditatis.

Doctor.

Inde aliquid extillabit?

Chirurgus.

Extillabit rogas? Ita, oleum rubrum in vaſe recipiente videbis, quod tantę eſt facultatis, vt nihil ſupra.

Doctor.

Quamdiu diſtillandum eſt?

Chirurgus.

Triduum vel quatriduum, donec nihil amplius extillet.

Doctor.

Feces poſt diſtillationem in fundo relictæ, ſunt

ſunt alicuius vtilitatis?

Chirurgus.

Sunt profectò: ſed cũ aquæ in vapore diſtil lata miſceri debent, ſed antequã miſcentur, aquam hanc rectificari oportet in ventre equino, de qua re, quia difficilioris eſt operationis, hic nihil dicere decreui. Sufficiat tibi oleum noſtrum quod cuius ſit facultatis, experientia tibi indicabit. Bona merx non eget præcone.

Lectio Octaua.

DE MODO PRÆPARANDI Ceram, vt inde Oleum diſtilletur.

Doctor.

Quid cenſes de Oleo Ceræ? in eo parando magna eſt difficultas?

Chirurgus.

Non vides tantum ſubeſſe difficultatis, ac aliqui credunt.

Doctor.

Doce itaque, quo id modo confici à Chirurgo poſsit.

Chirurgus.

Ante omnia, Cera præparari debet: nam hac parte omiſſa, tanquam potiſsima nihil ex Cera olei extrahitur.

Doctor.

Quomodo putas eam igitur præparandã eſſe?

Chirurgus.

Inter alias præparationes, hæc vna eſt de potentiſsimis. Quatuor aut quinque libræ Ceræ virgineæ in partes ſex aut ſeptem confractæ in cucurbita poni debent, cui admiſcenda ſunt tria pocula vini maluatici.

Doctor.

Quid deinde?

Chirurgus.

Vapor ſuperlutari debet, & ita temperandus eſt Vulcanus, ne cera inter ebulliendum effluat.

Doctor.

In quoto gradu igitur caliditatis?

Chirurgus.

In ſecundo: nihilominus quod ſi pauxillum ceræ cum vino ſubinde extillaſſe videris, ne putes ilicò te erraſſe. Hæc enim cera poſt cucurbita delutata maſſæ cereæ denuò admiſceri poteſt.

Doctor.

Vaſis igitur bene coaptatis, quomodo auſpicanda eſt operatio?

Chirurgus.

Ope Vulcani id agendum eſt, vt cera cum vino in cucurbita bulliat.


Doctor.

Quod genus cucurbitam putas?

Chirurgus.

Id genus, vt hic depictum eſſe vides.

Doctor.



Doctor.

Ad quid hæc ebullitio vtriusque conferet?

Chirurgus.

Ad quid conferat? in bullitione distillat paulatim spiritus vini cum facultate ceræ.

Doctor.

Distillatio hæc sæpius repeti debet?

Chirurgus.

Sæpius. Proinde vt bene cera præparetur, postquàm pintam vnam huius vini stillaticij habemus, id denuò per fistulam à latere super infundimus, & ne quid euaporet, hanc obturamus.

Doctor.

Quid si cera rostro alembici adhereat?

Chirurgus.

Ea paulatim extrahi debet, alioquin rostrũ ipsum clausura.

Doctor.

Quid deinde?

Chirurgus.

Secundo iterari debet tum huius diſtillatio, & vt anteà vini ſtillatitij pinta diſtillata, iterum per fiſtulam lateralem affundi vinũ debet. Idq́ue duodenis horis continuis agẽdum eſt, vt reciproca quædã ſit diſtillatio & affuſio.

Doctor.

Quid poſt duodecim horas?

Chirurgus.

Diſtillatione repetita tibi ſpiritum vini & ceræ comparaueris, hunc ſpiritum reſeruare debes: nam oleo ceræ, vt dicetur, poſteà admiſcendus eſt.

Doctor.

Hiſce igitur ita abſolutis, Cera ſatis præparata eſt?

Chirurgus.

Nondum: ſed poſt multas diſtillationes cucurbita aperiri debet, & Cera à phlegmate, cui admixta eſt, ſeparari.

Doctor.

Quomodo id faciundum eſt obſecro?

Chirurgus.

Compreſsione ſola manuum.

Doctor.

Satis aptè: comprimendo enim ceram, humor effluit.

Chirurgus.

Hanc ceram à ſuo phlegmate liberam in cu

curbitam, vnde extraxisti, mittes, & postquam igne lento liquefacta est, eam tantisper spatula agitabis, donec non amplius ascendat, & fumum de se sursum non mittat, aut spumam non habeat.

Doctor.

Sunt igitur hæc certa signa, quibus ceram satis præparatam esse cognoscimus?

Chirurgus.

Proculdubio. Atque hæc omnia benè memoriæ mandanda sunt, alterna eiusdem distillatio & adfusio, & phlegmatis expressio, ceræ liquefactio & agitatio, donec signa iam dicta adesse videmus. Quod si omnia vti oportet, facta sunt inde oleum, quod Ceræ oleum vocant, facillimè eliciemus.

Lectio Nona.

DE MODO EXTRAHENDI Oleum ex Cera Præparata.

Doctor.

Cera iam satis Pręparata, quomodo oleum inde distillatur?

Chirurgus.

Interea quod cera adhuc calida est. Retortæ imponi debet capaci & vitreæ, vndique luto sapientiæ bene lutatæ. Huius collũ quoque fistulæ per aquam frigidã transeunti, im-

ponendum eſt & agglutinandum.

Doctor.

Quo lutamento ?

Chirurgus.


Ex argilla, lana de pannis tonſa, cum albuminibus ouorum & arena.

Doctor.

Poſt lutationem Retortæ & eiuſdem colli cum fiſtula, quid agendum eſt ?

Chirurgus.

Ponatur in furno, vti hic vides, & primo lento igne operationē auſpica per horā vnā.



Doctor.

Doctor.

Quid post horam?

Chirurgus.

Ignis augendus est paulatim donec oleum extillat,& dum oleum extillare incipit, ignis in eodem gradu seruandus est, neç mutãdus.

Doctor.

Quid post olei distillationem?

Chirurgus.

Oleum hoc in Balneo Neptuni liquefieri debet.

Doctor.

Quid, liquefieri inquis?

Chirurgus.

Ita inquio, & liquefactum cum vase in aquã frigidã poni, eique admisceri spiritũ vini & ceræ, tantisper agitando donec crassescat.

Doctor.

Nihil restat, nisi vt quæ dicis hic experientia comprobemus. Ita enim verum ne an falsum sit, certó certius cognoscetur.

Practica Corn. Schylandri.

Albissensis, de Apostematibus
Pars III.

Lectio Prima.

DE APOSTEMATIBVS, EOrumque differentijs.

Doctor.

Quid autem tu vocas Apostema?

Chirurgus.

Abſceſſum, vel tumorem præter naturam. In Apoſtemate enim partes à ſeinuicem abſcedunt.

Doctor.

Vnde prouenit huiuſmodi tumor ?

Chirurgus.

A quibus hulcera, ſed ſine cutis eroſione.

Doctor.

Sunt itaque tot Apoſtematum, quot hulcerum diuerſitates ?

Chirurgus.

Omnino : pro cauſarum enim differentia, & hæc in corpore quoque diuerſa apparent.

Doctor.

Quot eorum diſcrimina à modernis recenſentur ?

Chirurgus.

Quintuplicia : eſt Sanguineum, Cholericum, Phlegmaticum, Melācholicum, & Emphyſimata, quæ ex ſignis externis & ſenſibilibus optimè diſtinguuntur.

Doctor.

Cedo nobis huius breuem quandam diuiſionem ?


DIVI-


DIVISIO GENERALIS APO-ſtematum.

Apoſtematũ aliud
- Humorale
  - Cũ partium mortifica-tione.
    - Eſtiomenus
    - Eſchachylus
    - Gangræna
  - Sine partium mortifica-tione.
- Ventoſum, vt ſunt Emphyſimata

Apoſtema ſine partium morti ficatione.
- Calidum
  - A ſanguine.
  - A cholera.
- Frigidum
  - A phlegmate
  - A melancholia.

Calidum Apoſtema
- A ſanguine, vt Phlegmon.
- A Cholera
  - Eriſipelas
  - Formica
    - Ambulatiua
    - Corroſina
    - Miliaris.
  - Ignis perſicus vel pruna.
  - Carbunculus vel Antrax
  - veſicæ vel inflationes.





Doctor.

Optimè, ita me Deus amet, breui diuisione, & apostematum, & causarum discrimina complexus

complexus es : vnde facillimè quiſque omnia horum genera cognoſcat.

Chirurgus.

Id apprimè Chirurgo neceſſarium eſt : nam morbo incognito nullus bene mederi poteſt.

Doctor.

Quæ in curatione apoſtematis ſunt attendenda?

Chirurgus.

Quàmplurima: imprimis reſoluendum ne ſit, an maturandum, diligenter indagandum eſt.

Quæ enim reſoluuntur ad maturationem non perueniunt: & quæ maturãtur, reſolutionem non admittunt.

Doctor.

Quibus indicijs hoc cognoſcas?

Chirurgus.

Ex pulſatione, & dolore cum augmento caliditatis. Hæc enim ſigna ſunt futuræ ſaniei. Nam dum pus fit, febres magis accidũt, quam confecto. Econtra, carentia pulſationis & doloris, ſigna ſunt materiei reſoluendæ.

Doctor.

Repercutientia non ſunt applicanda?

Chirurgus.

Sunt certè in principio, & augmento, quo materia fluens retardetur: minimè dum ad ſtatum peruenit apoſtema.

Doctor.

Semper itaque repercutere licet?

Chirurgus.

Chirurgus.

Non ſemper: exiſtente enim apoſtemate in locis emũctorijs, aut materia exiſtente venenoſa, aut in loco aliquo contuſa, aut criticè foras protruſa hęc omittenda ſunt, vt dictitat ratio.

Doctor.

Quam rationem medendi igitur in his ſeruabimus?

Chirurgus.

Primò, materiam ad ſuppurationem perducemus, deinde eandem mundificabimus. Digeſta enim medicari oportet, non autẽ cruda.

Doctor.

Sed quomodo mundificabis id, quod vndique pelle obductum eſt?

Chirurgus.

Eam ob cauſſam niſi poſt materiæ ſuppurationem vltro apoſtema rumpatur ferro, aut cauſtica medela aperiendum eſt.

Doctor.

Intelligo: eſt eadem vbique medendi methodus: ſed diuerſitas remediorum difficultatem parit.

Lectio Secunda.

DE CVRA APOSTEMATVM

Do-

Doctor.

Medendi ratione generali vtcumque prælibata, iam ad remedia accingamur. Sed obſecro, quę nam ſunt illa repercutientia, quorum mentio facta eſt?

Chirurgus.

Oui candidum roſaceo mixtum.

Doctor.

Bene quidem: ſed id œdemati minimè competit?

Chirurgus.

Fateor, & in hiſce non repercutimus: ſed locum corroboramus tantùm, *roriſmarino, abſinthio, ſtechade, menta, nepita*, & ſimilibus.

Doctor.

Indica nobis maturatiua, quibus communiter practicantes vtuntur?

Chirurgus.

Hæc pro apoſtematum diuerſitate, diuerſa ſunt.

In Phlegmone vel Eryſipelate, ſume *foliorum maluæ, violarum ana manipulum vnum, in iure pulli decocta piſtentur cum axungia porci, & oleo roſaceo quantum ſatis eſt.*

Doctor.

Emplaſticum hoc penitus eſt, quod ſuppurandi magnam vim habet.

Chirurgus.

A ſuppuratione aperimus (vt diximus) in parte decliuiori, quo purulenta materia facili-

us

us effluat. *Quæ educere oportet, quo maximè vergere videbuntur ducito*, auctore Hippocrate.

Doctor.

Hæc apertio ferro fiet, an caustico medicamento?

Chirurgus.

Vel hoc, vel illo. Si ægrotus abhorret ab apertione, quæ ferro fit, caustico, hoc est, vrenti medicamento vtimur: sin minus, ferro vti licebit.

Doctor.

Sed ab hac cutis incisione, nihil imminet periculi?

Chirurgus.

Nihil penitus: modò legitimè fiat, hoc est modò fiat secundum processum & lōgitudinem neruorum, venarum & arteriarum: quod ex musculorum anatomia peti debet.

Doctor.

Quod est causticum illud medicamentum, quo apostemata adaperiuntur?

Chirurgus.

Recipe *lixiuij barbitonsoris libram semis, vitrioli romani drachmam vnam & semis, coquuantur ad spissitudinem, in fine addēdo opij scrupulum vnū,* hoc cuti impositum ipsam corrodit, escharamq́ue parit.

Doctor.

Verum eschara hæc, id est, crustula combusta, quo pacto aufertur?

Chirurgus.

Pinguedine porcina veteri cum calaminari miſta, hãc filis in circulum conformatis applicatam ſuperponunt, deſuper forti ligatura emplaſtrũ vincientes : hæc indubiè caſum eſcharæ intra quatriduum procurat.

Doctor.

Quid porro poſt apertionem apoſtematis agendum eſt ?

Chirurgus.

Lichnũ vel tintan, vt vocant, *ex oleo roſaceo, & vitello oui*, imponimus, emplaſtrum maturatiuum exterius applicantes, quo materia tota tandem ad ſaniem perducta per foramen educatur.

Doctor.

Nónne mundificandum eſt ?

Chirurgus.

Proculdubio: nam vt id quod ſuppuratũ eſt, effluat, leniter manu noſtra ipſum apoſtema comprimimus, idque repetentes quotidie, donec omninò mundum extiterit.

Doctor.

Siccine finietur cura ?

Chirurgus.

Rectè, modò intrinſecus fomes morbi, medicamentis extirpetur. Quod quia ad pharmaceuticen & diæticen ſpectat, non eſt huius loci tractare.

Lectio

Lectio Tertia.

DE CVRATIONE TVMO-
ris Laxi & Frigidi.

Doctor.

Iam de Oedemate tractemus.

Chirurgus.

Placet: eius curam breuissimè tibi depingam. In maturatione enim tantum est varietas. Apertio enim & mũdificatio, eodem modo perficiuntur, quo in pręcedenti dictum est.

Doctor.

Quod est igitur maturatiuum Oedemati conueniens?

Chirurgus.

Recipe *capitũ liliorum alborum, radicum althea ana vncias quatuor ficuũ siccarũ pinguium numero quinque, coquantur in quantitate sufficienti aquæ cum farina tritici, semine lini & semine fenugreci, & fiat emplastrum solidum, addendo pinguedinis porcinæ recentis vncias tres, butyri vnciam vnam, fermenti vncias duas.*

Doctor.

Habes ne facilius?

Chirurgus.

Habeo: *fumus terræ eandem vim habet. Herba enim hæc in caule sub cineribus tosta cũ pinguedine seu axungia porcina,* in mortario misceatur, & parti

parti affectę applicetur: vulgare eſt, ſed bonū. Ad idem valet & *Senecion.*

Lectio Quarta.

REMEDIA AD DVRITIES PARTIVM.

Doctor.

Ad Schyrrhoſitates, quibus vtimur?

Chirurgus.

D*iachylon*, deſcriptione Ioannis Guidonis: id enim reſoluit, & mollificat vnamquamque duriciem, vel *Emplaſtro de mucilaginibus* eiuſdē, *vel ceroto œſipi humidi.* hæc in omnibus duricie-bus multum priuilegij ſibi vendicant.

Doctor.

Cedo eorum deſcriptiones.

Chirurgus.

Longum hoc foret: habes eas in Antidotàrio Vigonis, inde petas, quando vacabit.

Doctor.

Hiſce igitur omnis duricies tollitur?

Chirurgus.

Minimè: ego vtor decoctis quoque, quæ ſupplent, quod ab his emplaſtris, vel vnguentis fieri nequit.

Doctor.

Quæ autem ſunt iſta?

Chirurgus.

Importunus es interrogator D. Doctor: anteà dixi, & denuo dico, me ab ijs, quæ ad reliquas medicinæ partes pertinent, hic abstinere: & tantum ea, quæ exterius applicantur velle explicare.

Lectio Quinta.

REMEDIA CONTRA APOstemata à Ventositatibus.

Doctor.

Nobis sese nunc offerunt Emphysimata, quæ non ex impuritatibus ipsis, sed earundē spiritibus natiuitatem suam habet. Quibus medicamentis chirurge ijs medemur?

Chirurgus.

Resolutiuis, & euaporantibus, hisce enim & similibus cutis ipsa rarescit, & spiritus inclusi ob pororum apertionem euanescunt.

Doctor.

Audiam descriptionem huiusmodi resolutiui.

Chirurgus.

Recipe *Milij torrefacti libram semis, farinæ fabarum libram vnam, furfuris macri bene triturati vncias octo, pulueris camomillæ, meliloti, aneti ana vncias duas, corriandri, cumini ana drachmas sex, fiat emplastrum solidum cum sapa sufficienti*

addendo

addendo Olei camomillæ, aneti ana vncias tres, laurini, rutacij ana vnciam ſemis, miſce. Eius operatio in reſoluendo & euaperando eſt mirabilis.

Doctor.

Sed præpoſterè mihi videntur procedere, qui à topicis medicamentis curã exordiũtur.

Chirurgus.

Quibus equidem conſentio, minera namque alicuius mali primum auferri debet: hac enim ablata, tollitur effectus. Cùm itaque inflatio ex reſolutione ſpirituum impuritatum proueniat, neceſſariò impuritates hæ, in primis auferendæ ſunt.

Doctor.

Rectè, non opus igitur erit topicis medicamentis. Qui enim cauſam tollit, tollit & effectum.

Chirurgus.

Non rectè concludis, meo tamen iudicio, illi naturæ arcana ſunt perſcrutati optimè qui omnia vlcera, apoſtemata, œdemata, ſchyrros, emphyſimata, decoctionibus curare norunt.

PRACTICA COR.
Schylandri Albissensis.

De Dislocationibus & Fracturis.

Pars IIII.

Doctor.

Artus luxati, quomodo curari debent?

Chirurgus.

In primis ossa in pristiná sedē reponuntur, & vt hoc fiat, osśiū anatomia cognosci debet.

Doctor.

Quid porrò post osśium repositionem?

Chirurgus.

Defensiua adhibemus per aliquod dies ex olei rosacei, & mirthino ęquali portione cum albumine oui.

Doctor.

Nihil autem amplius tum agendum est?

Chirurgus.

Quis dubitat? membrum ipsum confortandum est ceroto à Vigone descripto, cuius talis est ordinatio.

Recipe *olei myrthini, olei rosacei, omphacini ana libram semis, succi radicis althea libras duas, radicis fraxini & foliorum eius, radicis zymphiti minoris & foliorum mirthi, foliorum salicis ana manipulos duos, bulliant omnia aliquantulum contusa, in vini nigri & aqua aquali mensura ad medias,*

cum

cum mirrhæ thuris ana drachma ſemis, colaturæ adde ſeui hircini liquefacti libram vnam & ſemis, terebinthinæ vncias duas, maſticis drachmam vnam, bulliant ad conſumptionem decoctionis. Colaturæ adde litargirij auri & argenti ana vncias tres, boli armeni triti, terræ ſigillatæ ana vncias 2. minij drachmas decem. Coquantur lento igne, & continuò agitentur ſpatula, & fiat cerotum cum cera.

Doctor.

Optimè, id enim iuuaſſe multos ſcio. Sed in fracturis eadémne eſt procedendi ratio?

Chirurgus.

Ita plané, primum in locando & reponendo oſſe ſoliciti eſſe debemus: ſecundò membrum defendimus, ne à fluxu humorum irritetur: tertio confortamus, vti dictum eſt.

Doctor.

Sunt ne aliquæ herbæ, quæ á proprietate naturæ occulta, fracturam omnem ſanant?

Chirurgus.

Sunt. Sophia tam cruda quam cocta id facit. Vnica ſymphiti radix in vino decocta & applicata, callum inducit. Sic Ariſtolochia & Serpentaria.

Doctor.

Bene dicis: idem memini me ſepè apud alios legiſſe.

Chirurgus.

Faxit Deus, vt hæc noſtra Chirurgiæ inſtitutio Reipublicæ proſit, eaque ad Dei glo-

riam & proximi ſalutem, tonſores & balneatores, vbique locorum vtantur.

FINIS.

Inter excudẽdum prætermiſſa

ſunt pagina 10. quæ inter Lineam 18. & 19. ſunt inſerenda.

Doctor.

Quid verò deinde?

Chirurgus.

Vulnus ipſum vnguento noſtro implebimus quod cõponitur *ex reſina abietis liquefacta & à ſordibus expurgata cum modico medullæ vituli & tantundẽ radicis conſolidæ, & emplaſtro ſtictico* accurratè deligabimus in circuitu *oxyrodino* irrigantes.

Doctor.

Non aliud habes hunc ſimile?

Chirurgus.

Habeo.

In hac methodica Chirurgiæ Institutione & Epistola, quod Sanctæ catholicæ Ecclesiæ Romanæ religioni contrarium est, nihil continetur, eam vtilem Chirurgiæ studiosis fore, & imprimendam censemus Datum Antuerpiæ die 7. Iulij. 1575.

Henricus Zebertus Dunghen S. T. D.
Canonicus Antuerpiensis.

ANTVERPIÆ.
Typis Ioan. VVithagij, expensis
Anton. Tilenij.

